



ORK

ORKE





COGITATORVM SVORVM  
DE S. EVCHARISTIA

SINCERAE FIDEI  
EVANGELICAE PVRITATI  
OMNINO CONGRVENTIVM

DILVCIDATIO  
APOLOGETICA  
ERVDITORVM THEOLOGORVM  
MEDICORVMQVE OMNIVM  
AEQVAE INQVISITIONI  
SVBMISSA

A  
BALTHASARE LVDOVICO TRALLES  
MEDICO VRATISL.



VRATISLAVIAE  
SYMPTIEVS CAROLI GODOFREDI MEYERI.

1753.

COGITATORIA SVORAM  
DE LACHTERIS TET

STINCERAE LIBRI

YANKEEAE FARTATI  
OTUS CONGRATULUM

DILACIDATIO

Lactantius.

Nullus animo dulcior cibus, quam Cogni-  
tio Veritatis.



ARVATI VAVINE  
CARONI GODOLBERTI MELI



§. I.



**E**lapiae sunt patae hebdomas, ex quo quod occasio scriptoris fu-  
omnes Cives mei no- spicio pu-  
runt, per urbem no- blica de  
stram volavit publicus licet frustraneus ru- Auctoris  
mor, subito per bonam partem Silesiae at- transita ad  
que extra eius quoque terminos disper- Reforma-  
tos, me posita Religione Lutherana aut  
amplexum iam esse Reformatam, aut am-  
plexurum fore certo, atque propediem  
fidem nouam ipso usu S. Eucharistiae ad  
mientem Reformatae Ecclesiae in Tem-  
plo eius fore obsignaturum. Figmenta  
multa et fabellae, quibus tanquam tot co-  
loribus condecorata est haec historiola,  
variaque Variorum pro captu unius cu-  
iusque enata iudicia, quae capropter ex-  
periri debui, exigunt, ut publice pro me

A 2

pro-

proque domo mea faciam verba, causaeque meae purissimae et innocentissimae patrociner, plenam dein de me sentiendi libertatem Cordatis omnibus relicturus. Primo quidem cum meas etiam aures ferrirent haec vel bona vel mala nova, per manus longe lateque tradita, atque Vulgi officiosa solertia per plateas disseminata, vix operae pretium esse credebam, ut ad ea attenderem ipse, aut multum iis mouerer. Videbantur quippe niuis volutando aggestam operosius molem, artificiis inanibus figuratam mihi referre, quam liquefientem et fusam in aquam simplicem, atque diffluentem et elabentem per communes vias ex urbe, me iam adspicere opinabar. Imo vero subridens commentum omne a luxuriantibus ingeniis lepide excogitatum ad lusus et iocos retulisse, tempori fallendo si non mihi, qui negotiis haud destituor, aliis saltem multis quibus sat otii est servire iussos, si modo rem non adeo seriam ac Religio est, illud haud respexisset. Neque tamen etiam sub ipsum ortum modo nascensis, et incrementum breui adolescentis fabulae sufficientem rationem mihi exsurgentem autumabam, ut animo angerer, curisque et sollicitudinibus eapropter me traderem. Expertus quippe noueram bene, in turba pene innumerabili hominum inueniri valde paucos qui veras menti  
iniae-

inhaerentes possident de Religione in genere ideas, ut adeo de causis quae transitum ab una ad alteram suadere et dissuadere possent, cogitare vel iudicare vix valeant. Namque suspicio finium illorum, qui solemnes et valde frequentes sunt Ecclesiam unam deserentibus et ad aliam transfeuntibus, bonorum temporalium honorumque et titulorum captatio in me neutiquam cadere poterat, qui Veritatis studio incubueram a teneris, qui fluxas et euanidas huius aevi felicitates diu satis intropexeram, qui que olim Novitus Medicinae Doctor magnas spes inchoare prohibitus, nihilominus illecebrosas forte tentationes negligere sciueram. Nimirum vero attenta et iugi obseruatione persuasus eram, etiam inter illos, qui vim iudicii non adeo obtusam naasti, discernere verum a falso, probabileque ab improbabili paulo exactius norunt, interque ipsos Eruditos et Literatos, quorum labores ad unam metam Veritatis tendere debent omnes, tamen plerosque ea saltem de causa Lutheranae, Reformatae, et Catholicae Religioni addictos manere, quia a parentibus huic vel illi Religioni addictis sati in Inuentute sua Catechismum ad huius vel illius mentem concinnatum memoriae mandarunt, sensum verborum rerumque nexus vix intelligentes. Cur ergo a talibus probari,

A 3

vel

vel non probari altioris momenti rem habere debuisse? Deinde etiam longo rerum non satis superque perspexeram, plerisque hominum a sua iuuentute dum fundamenta Religionis connatae ipsis inferuantur, contra praecepta Religionis odium simul aliquid in illos imprimi, qui aliam profitentur; Noui porro paucissimos sagaciorum etiam, ad principia diuersarum Religionum trutinanda atque inter se comparanda, veraque a falsis separanda, dum aliis negotiis distrahuntur diligentiam et tempus impendere, atque quod dolendum in ea versari fententia, hoc talia Theologis et Theologiae studio operam nauaturis relinquenda esse; non igitur aegre ferre poteram, si inhabilium ad iudicandum iudiciis sat interdum imprudentibus et inquis peterer.

## §. 2.

*Suspicionis  
buius seque-  
læ ipsi gra-  
ues.* At vero succrescebant praeter spem meam ex fertilibus illis, deque die in diem augmentum capientibus narratiunculis valde finistra atque famae meae quam cum vita pari passu semper ambulare duxi, haud bene respondentia consecaria, tanto magis mihi gravia, quo magis nil a me profectum esse conuictus eram, quod intelligentibus displicere iure profuisset. Professus fueram saepius ad conuiua vel  
con-

conuentus alios publicos Variorum diversisque Religionibus addictorum euocatus, me nullam impossibilitatem assequi posse, quo minus inter nos Lutheranos et Reformatos stabiliretur concors et arctior Amicitia; si saltem ex nostris et illis conuenirent Viri vtrinque rigorem systematum suorum emollire gnari, Veritatisque solius studiosi, atque in consortium prudentes haeredicos adsciscerent; quanquam difficultates externas sat magnas conciliationis vtriusque Religionis fatis pulchre perspicerem. Inieram deinde et seruaueram constanter intemeratam Amicitiam, cum honestissimo quadam Viro, qui Reformatam Religionem profitebatur, cuius interiores animi recessus penitus noueram, ipseque in servanda fide constans post fata eius amorem meum, quem ipsi debebam, documentis sat evidentibus significabam. Audieram porro Concionem sacram in templo Reformatorum, ac cum eorum precibus meas iungens DEUM, qui omni tempore, omni loco, omnique data occasione colendus est, flexo poplite veneratus eram. Prodibat interim publice eo ipso tempore, quo ita me gesseram, typis impressa *Historia cholerae atrocissimae*, quam sustinueram, in qua dum descriptioni vacabam, pietatis religiofae characterem expressurus, simul exposue-

### 3 DILVICIDATIO APOLOGETICA

ram sensa animi mei de S. Eucharistia, ad cuius usum ultima vice ut morti proximo videbatur, admittendus fueram. Atque hoc libello quo confessionem fidei meae contineri communis sententia erat, me testatum fecisse dicebant omnes, id quod intus latens colligere haec tenus licuisse attentis ad vitæ meae habitum, et ad propensionem illam, qua ferri me in Reformatos, et eorum sacra prodideram. Non expecta veram certe ab illis hominibus, qui Eruditorum nomen suum esse reputant, nedum ab Eruditis veris eam Animadversionem a nostra Religione Lutherana abhorrire cogitata mea, meque vacillantem pendere procluem in partem Reformatam; neque credidisse me scripsisse aliquid, quod expensum rite profani quid et blasphemi complestetur. At vero ita sensisse et sentire haud paucos tristis experientia me abunde docuit, quin non defuere qui latinam linquam hand callentibus in vernaculum sermonem versa mea exhibuerunt, quae de S. Coena consignaui, quique praeiudiciis ducti maioribus praeiudiciis irretitis eadem ita explicarunt, ut honori mihi ducere adhibitam operam non facile potuerim, fauentesque mihi linguas, calamos, animosque passim desiderare debuerim. En igitur nunc me Animal amphibion, hominem semi-lutheranum et semi-reformatum!

matum! en reum scandali debilibus Ani-  
mabus illati, en temerarium et ingratum,  
qui Redemptoris sui sanguinem vilipen-  
dat! en ita culposum, ut deesse nequeant,  
qui Vindices diuini honoris me erubescen-  
tem publice confutent et confundant. An  
vero bene quadrant haec encomia inter-  
meratis moribus Viri honesti, qui quan-  
tum recordatur, animi leuitatem nun-  
quam et nullibi prodidit, qui que securus  
prouocare audet ad bonos et cordatos  
omnes, quibus penitus innotuit, integer  
vitae scelerisque purus? Tulissem inter-  
rim nihilominus firmo & composito Ani-  
mo nil mihi consciens, nullaque culpa  
pallenscens quicquid in buccam veniebat  
de me blaterantes, nisi accessisset aliud in-  
fortunium, quo valde me affectum per-  
sensi. Accidit nempe, ut dum nil fere  
nisi me ad tempus considerationi suae subii-  
cerent bene multi, a Viro quodam sum-  
mo invito ipso, et de me ne quidem som-  
niante, ut toties ipse testatus est, me pu-  
blico sermone notatum crederent, ma-  
lamque causam meam vel inde satis colligi  
posse arbitrarentur. Neminem igitur  
qui haec omnia contemplatus fuerit cu-  
rarius, vitio mihi versurum credo, quan-  
do nec acuminatum, nec felleo amarori  
intinctum, sed candoris et infucati Animi  
testes litteras exaraturum calamum arri-  
puero, atque quamquam in aliis sentiendi

de me meisque rebus libertatem singulis  
lubens relinquam, disceptationes et contentiones parum amans, amicitiae potius  
necendae et seruandae studiosus, maculas tamen omnes immerenti inspersas detergere, pro omnibus Viribus meis allaborauero.

## §. 3.

*Imputatio.* Omnes imputationes et exprobrationes publicas licet numerosas, diversoque verborum apparatu propalatas in vnum aceruum colligens et expendens sedulo, ad duas tamen saltem redigi posse video declinatio. cunctas; sique in ius Vocatus sedentibus Licit medi- me condemnaturis vel absoluturis Iudici- eo ingredi bus rationem facti reddere debo, cul- Theologi- pam duplicem a me declinandam habeo. am. Insimulor quippe

1. Ad me Medicum non spectare Mysteria fidei, mihiique adeo neutquam competere licentiam ratione duce ingredi arduum adeo Argumentum, theologicum, quod Verbi diuini Interpretibus qui id neutquam explicari debere, nec posse toties urgent, solis relinquendum erat,
2. me semel ausum exercendi hanc πολεμαγμοσύνην non adeo bene me gessisse namque occurrere in iis quae scripsi,

scripsi, varia a principiis Lutheranae Ecclesiae quibus tamen a Iuventute innutritus inhaesissim hactenus, profus aliena, ambigua, male fundata, periculosa, & profana.

Bona pace impetrata respondebo ad momentum utrumque. Primum quod attinet, largior et concedo lubens Argumenti summam dignitatem vel sola sui cogitatione tremorem et reverentiam inspirantem, atque procul abesse omnes profanos iubentem, abarcere omnino illos, qui viribus mentis nimis debilibus semet instructos sentiunt, quo minus proprius ad id accedere valeant. Crimen quippe foret aeternis poenis luendum, sua Animi levitate et seposita Mysterii a quo omnis hominum vera felicitas pendet existimatione, Lectores in deuia et syrtes abduxisse, iniuriumque in pientissimarum Animarum salutem extitisse. Tumque omnino fuisset satius tacuisse omnino, quam temeraria et praecipiti ratiocinatione, verborumque non satis praemeditato selectu scandalum intulisse innocentibus, qui simplici fide salvi futuri, de omnibus hisce alioquin ne cogitassent. At omnes hae inculpationes me opinor vix feriunt, nisi vi quadam ad me trahentur. Novit DEUS abditos cordis mei recessus, vacuosque illos videt eius ἐνδικον ὄπυα ab omni artificiosa malitia, ab omni

omni petulantia impugnandi sanctissimae nostrae religionis articulos. Novit nullo alio fine me Medicum sribentem historiam morbi alicuius fontici, qui me ad ipsum limen Aeternitatis adduxerat; qui mihi per paucas illas horas quae vitae superesse videbantur curam animae iniunxit quam seuerissime; qui cum sanitate in gratiam redeunt meditationum theologiarum memoriam perpetuo refricabat; nouit inquam, me nullo alio fine proclivem fuisse in hanc μελάβασιν ἐις ἄλλο γένος quam ut moribundi hominis cogitata quae Eruditum et Medicum decent publice significarem, atque simul comonstrarem liquido, Lutheranos si sine vita sacrâ literis illata id remouerent a Mysterio S. Eucharistiae, quod vere removendum est, a Reformatis insimulari minime posse, quod in doctrina sua excessu fidei peccent, atque admittant aliquid sanæ rationi contrarium, sibique ipsi contradicens. Ecur vero tale quid aggredi non auffus essem, ego, qui Sinu Ecclesiae eiusmodi foueor, quae nullam unquam obedientiam postulat in credendis, nisi acceſſerit convictio; quae omne coactum auersatur, atque a conscientiis vult abesse; quaque ad normam S. Scripturae omnia permittit trutinare, bonumque tum eligendum et seruandum inculcat. Praeter haec omnia vero gaudeo  
No-

Nomine Hominis Literati , pertinent igitur et ad me iura et immunitates in Republica literaria per vniuersum Orbem valentes. Non secus ac alii Eruditi instruor privilegio , in omnibus generibus scientiarum quas introspexisse utcunque mihi videor , proferendi publice sensa animi mei , afferendique vel negandi aliquid , maxime quando sobrias cogitationes proferens easdem vterius ediscerere , corroboratione atque masculine defendere contra secus sentientes mihi confido. Neque cogor acquiescere in nudis oblocutionibus eorum qui falsa me docuisse gratis causantur , nisi accederit demonstratio , quin demonstrationes suggesteribus incumbit ferre patienter earum mihi oppositarum examen , an nempe precario quid sumant , supponantque haud supponenda. Imo vero cum , DEO sint grates , tantillulum viarium mentalium quod eius beneficentia mihi elargita est , suffecerit trutinandis Religionibus Medicis omnibus , eoque tandem deduxerit , ut verissimam amplexus sim , praxinque haud omnino infelicem secundum eius dogmata exercuerim haetenus , ad inquirenda religionum christianarum divortia id non minus mihi impendendum esse duxi. Maximopere hinc obligatum me sensi intus , ut assequenter cognitionem genuinam methodi mendendi animam respicientis , quae ex natura

tura sua infirma est et languens, et aegra, remediisque moralibus et theologicis indiget, meae potissimum curam habens, alias diuini Verbi Interpretibus sanandas et firmandas relinquens, ad exercendos actus ministeriales haud evocatus. Omnes autem hi conatus quoisque sese extendi patientur, nullae certe invasiones in campos Theologorum habebuntur aequis et iustis rerum arbitris, dumque Christum Servatorem potiora sua Miracula quae praestitit in terris commoratus, edidisse sanatione desperate aegrotantium sacrae paginae doceant, licebit omnino pietatem sectantibus Medicis ad Christum Medicum propinquior accessus; methodique qua animas a morte aeterna vindicatas vult, pia et religiosa contemplatio. Largiuntur omnium Ordinum Literati, dari inter scientias cunctas quibus discendas & poliendis homines insudamus, perpetuum nexum, mutuamque omnium erga se invicem relationem, ita ut beneficio unius excellentior reddatur altera. Ea propter igitur non ut mos Artificum sellulariorum Opificumque est, ad Literatum una illa cui sese dicavit praecipue, spectare reputanda est, sed si haec saltē ab eo haud posthabeatur, aliarum etiam cognitioni studere potest, ut Veritatis strenuus sectator huius ubique simplicis et unius, in omnibus scientiis sumnum

imma

imperium ediscat. Toties sane eapropter Medici et Iureconsulti laudant **Ora-**  
**tore**s e suggestu Verba facientes, quan-  
do textum sacrum explicaturi vel pro  
conuictione Auditorum suorum, vel pro  
imperanda eorum attentione, ex Anti-  
quitatibus Graecis et Romanis, ex jure  
naturali et civili, ex Anatomia et Physio-  
logia mutuantur nonnulla ad scopum the-  
matis facientia; quin mirantur ipsorum ar-  
tes, non omnibus imitandas quando ex  
Historicis, Poetis, Philosophis Gentili-  
bus loca feligunt exquisitissimo studio,  
atque christianis sacris adaptant.

## §. 4.

An igitur dedecret Medicum Chri-  
stianum scriptorum suorum folia quaedam <sup>Id licitum</sup> sibi reputa-  
destinasse considerationibus, non sane de-<sup>runt alii.</sup>  
decori, sed potius honori et tutelae suae  
Religionis inservientibus; Lectoresque  
nil tale opinantes et sperantes perduxisse  
ad meditationes pias, quas frontem libelli  
contuitus nemo sibi nascituras expectas-  
set. Ego certe inter Medicos qui ita age-  
re consuevere, primus ab ignaris saltem  
haberer; Virorum quippe Erudissimorum  
et Theologiae et Medicinae dedissimo-  
rum, (quanquam forte si iudicii aciem  
qua pollebant, meae comparem, non  
passibus aequis) lego Vestigia; quos  
omnes

omnes longo catalogo hic indigitare meo  
instituto omnino repugnaret. Silentio  
illos Autores lubens praetereo qui de  
Christo Medico, de sudore Christi sanguineo,  
de morbis biblicis, de morbis se-  
num a Salomone indigitatis, data opera  
scripserunt; namque de his asseri posset,  
quod saltem id petierint Medici ex S. bi-  
bliis, quod ad Medicos pertinet, quod-  
que sua reliquerint Theologis. Prouo-  
cabo potius ad magnum illud Heluetiae  
decus Illustrem *Scheuchzerum* qui Physi-  
cus & Medicus omnem scripturam sacram  
explicauit, multamque eapropter Gra-  
tiam apud Theologos iniit, quanquam  
habeantur hinc inde, quae omnium af-  
fensem prima fronte obtinere posse, haud  
videbuntur. Neque obliuiscar Viuentis  
adhuc Cl. Halensium Professoris *Alberti*  
cuius scripta theologicis disquisitionibus  
adeo referta sunt, ut passim physica &  
medica argumenta desiderare Lectores,  
atque prae theologicis exoptare debeant.  
Laudare quoque hac occasione debeo Cl.  
*Sommerum* dum viueret Celebrem Lan-  
deshuttae in Silesia nostra Medicum, qui  
Animi sui refectioni dedit Versiones Ger-  
manicas scriptorum theologorum, ex  
Anglorum idiomate. Verum forte Me-  
dicorum nullus adhuc ingredi ausus est  
Mysteria fidei? Ego horrens illos qui sce-  
lerato affectu impugnare ipsa aggressi sunt,  
neque

neque enumerare volens omnes, qui pio  
animo eadem fuere contemplati, unum  
producam *Fridericum Hoffmannum Prae-*  
*ceptorem olim meum*, qui in *Summa Re-*  
*ligionis Christianae* quam edidit, de om-  
nibus fidei articulis intelligibili et facili  
modo egit, non ut ipse scribit, scholasti-  
cis et res claras magis obscurantibus et  
ambiguis terminis ac subtilibus distinctio-  
nibus usus, atque elogium id fuit prome-  
ritus, vt Catalogo Medicorum-Theolo-  
gorum inferretur. Neque obfuere ipsius  
honor et Christianismo lites, quas iunior  
olim habuerat cum Theologis Ienensibus,  
cum vesanos fossores thesaurorum vigilia  
ante festum Natuitatis Christi fumo car-  
bonum ex rationibus physicis suffocatos  
doceret, quos illi supernaturali virtute  
diuinaequae Vindictae permisssa Cacodae-  
mone enectos contendebant. Ego pa-  
terno affectu dilectus ab Eximio Viro di-  
scipulus, vt in aliis ita et hic vestigia ipsius  
premere allaboro, cumque ea mihi con-  
tigerit felicitas, vt vindicando publico  
scripto Religionem, contra impudentem  
eius Obtrectatorem de la *Mettrium* cum  
Anima totum hominem in Machinam con-  
uertere molitum, assensum et applausum  
magnorum Theologorum et Medicorum  
assecutus sim, nunc quoque nullus timeo,  
fore vt per Cogitatorum meorum de S.  
Eucharistia, Augustanae Confessioni et

B

libris

## 18 DILVCIDATIO APOLOGETICA

libris symbolicis, si rite pensitentur, haud repugnantium culpam, atro carbone nomen meum notetur, famaeque meae indelebilis macula inuratur. Atque ut illi pro Viribus consulam, sententiae meae innocentiam et rectitudinem si omnia mea verba bene intelligentur iam accuratissime mihi commonstrare animus est, omnibus sine exceptione Eruditis a praeiudiciis liberis. DEVS quem fontem gratiae et veritatis supplex imploro faxit feliciter.

## §. 5.

*Si libelli de Choler'a 25. lera* huc facientibus (namque reliqua eius et 26. pror- moles omnis, nil continet, nisi ad Medicinam spectantia, et ad specialiorem morbi historiam) vigesimus quintus, et vigesimus sextus nil habet sine dubio, quod Theologis nostratibus displicere posset. Namque in illis affirmo, quod Medicus de Vita corporis humani, de sanitate eius, de morbis et de medendi methodo nil credam et admittam quam quod congruum sit illius structurae, legibusque motuum in corpore hoc obuiorum, quod tanquam primum tomum Magni illius libri Naturae considero. Affirmo porro, quod respectu Vitae et Mortis, Sanitatis, Morborum, Sanationis Animae nil verum reputem, nisi legatur in Libro Gratiae, Verbo

Verbo scripturae reuelato. Concedo dein  
Iubens mysteria fidei, eaque assero nos  
intelligere haud posse, nisi quousque in  
Scriptura nobis reuelata sunt; hortor sal-  
tem Christianos rationales, ut sibi a ru-  
dibus et indignis conceptibus caueant.  
Laudo deinceps puritatem antiquae Eccle-  
siae, quae temporibus Christi et Aposto-  
lorum propior erat, quamquam illam non  
ad Seculum VIII. usque prorsus inteme-  
ratam mansisse probe norim. Venio dein  
§o XXVI. ad faciem antiquam Euchari-  
stiae, ipsamque proulentibus licet Patri-  
bus quibusdam a quarto Seculo, tamen  
nono demum seculo ita immutatam esse  
asserio, ut hic vera doctrinae hodiernae  
Reformatorum et Pontificiorum incuna-  
bula Radberto et Bertramo Parentibus  
quaerenda sint, ad Auos et Atauos usque  
retrogressi nolui. Noto porro, aliter  
sensisse primorum Seculorum Patres,  
(quos inter tamen Clementem Romanum  
sublestae esse fidei indicaui) Nouitatesque  
duorum illorum Monachorum sensim in-  
creuisse; Magnos Religionis Christianae  
a quisquiliis Reformatores Lutherum et  
Zwinglium qui in tot aliis articulis con-  
ueniebant, in Eucharistia non conuenire  
potuisse doleo; Caluinum aliquando Lu-  
theri Sententiae fuisse propiorem, quam-  
uis deinde Zwinglio plus dederit, atque  
capropter interdum ipsis Caluinianis di-

B 2 splicere

splícere assero; Tandem nostra asserta Verbis Christi, doctrinae Apostolorum et primae Ecclesiae ritibus, prae Reformatae et Romanensis Ecclesiae placitis conformia esse laetor. Sane qui in his omnibus Lutheranus quae Ecclesiae nostrae honori sunt, et praerogatiuam eius commonstrant, aliquid inuenire sibi videatur, quod taxari mereatur, is hospes est in sua Religione, omniq[ue] Historia Ecclesiastica, cumque tali Antagonista non congrederer vñquam, sed hucusque a Nullo Eruditorum Theologorum nostratium contradictiones me expectandas habere, satis intelligo atque conuictus sum.

## §. 6.

*§. 27. lapis* Progredior vero ad §um libelli mei Offensio-  
nis. Ratio-  
nis usus  
cautus per-  
missus in  
Religione.  
XXVII. in quo forte sub verborum co-  
loribus venenosis quid delitescit, subque  
herbaceo virore oculis placente horridus  
anguis latet. Suscipiam omnium eo con-  
tentorum Examen tali rigore, ac si non  
me ipsum, sed peregrinum plane aucto-  
rem haberent. Dum de S. Eucharistia  
tracto, omnis rei cardo hic vertitur, in  
reali praesentia corporis et sanguinis Chri-  
sti, quam Lutherani nos affirmamus et  
vrgemus. De ea disputationes durarunt a  
nono seculo vsque ad hunc diem. No-  
tum est Romanenses in ea versari sententia  
per

per consecrationem panem et vinum transubstantiatione mutari in corpus et sanguinem Seruatoris; Reformatos et inter eos paulo rigidiores significationem saltem et figuram absente corpore et sanguine admittere; Nostros vero Theologos Lutheranos plerumque contendere insistendum esse vnicē verbis Christi Testatoris *Hoc est Corpus meum, hoc est sanguis meus rationemque cum omnibus suis ideis et conclusionibus hoc vel illud dubium obiicere machinantibus, ab ingressu in hoc mystrium cohibendam esse;* quanquam, quod obiter noto, non semper ita se gerant, sed explicationibus et demonstrationibus suis, dubiis interdum ipsi occasionem praebant. Non negauero vñquam, fidem valde simplicem, imo vero etiam interdum sat rudem saluti animarum neutiquam officere, satque multis saluandis sufficere, surgentibus multis illiteratis et rapientibus coelum; quin opus facillimum haberi, non Eruditis imbecillitateque rationis natura laborantibus, aut naturales eius dotes perpolire prohibitis, ita magna tranquillitate acquiescere; Neque ignoro multos pigritia christiana torpentes in pia simplicitate gloriam quaerere, rationisque obsequium DEO debitum otiosae suae socordiae in inquirendis, vt decet, rebus diuinis praetexere. At vero cum Reuelatio et Ratio unum eundemque Venerentur

tur Autorem, qui unam in alterius detrimentum et confusionem elargiri neutquam potuit, diu hoc dederunt Theologi Philosphi Illustri *Leibnitio* mysteria fidei supra rationis vires euecta, nil tamen continere, nec continere posse quod contra rationem sit, et cum ea pugnet. Quare ego semper conuictus fui, licet temerarium et absurdum fuerit posituum indagare et explicare velle mysterii ingenium, tamen licere rationi negatiuam explicationem, et remotionem omnium quae adiecta mysterio id efficerent, ut vere mysterium esse desineret, quemadmodum a mysterio S. S. Trinitatis ratio prudentissime amouet ideam Personarum. Magna scilicet differentia stabienda venit, si ita mihi loqui fas est, inter rationem rationalem et delirantem; inter rationem sanam et aegram; illa quippe dum nullo vitio laborat, dumque intemerata permanet, sibi ipsi terminos praescribere et figere nouit, quo usque progredi sibi liceat, quo usque volente DEO ipso, qui cultum rationalem ipse sibi depositus, progredendum sit; et ubi tandem gradum sistere, atque se subiicere obedientiae fidei, humilis et limitum virium suarum conscientia debeat. Haec cum ita se habeant, neque temere negari queant a quopiam, firmiter conuictus sum, exigere DEUM ipsum, ab homine Erudito cui subtiliori mentis acie

acie introspicere dedit scientias salutem temporalem sui et proximi respicientes, vt vires suas mentales, vt neruos animi omnes ad proximiorem cognitionem DEI, eius essentiae, operum ipsius ordinisque salutis nostrae intendat. Namque quisquis lactis est particeps, is ruditus est sermonis iustitiae: infans enim est. Sed perfectorum est solidus cibus nempe horum qui propter assuetudinem sensus habent exercitatos ad discretionem boni pariter et mali. Hebr. V. 13. 14. Eapropter ego nunquam statuere desinam, incumbere Literato vt neutiquam ex impresso a teneris et profundius radicato praeiudicio, connatam suam Religionem veram reputet, sed potius de eius veritate dubitans omnes rimetur, cumque omnes sectae christiana habent Veritates inter se conuenientes, vt trutinatis dissidentibus a se inuicem, illam Religionem aut seruet, aut missa sua connata eligat, quam verissimam diuturna et operosa inquisitione apprehendit; quin cum Verissima forte suis adhuc defectibus, non culpa Scripturae, quae vnica credendorum et faciendorum norma est, sed interpretum vitio laboret, vt illos minuere pro viribus conetur, siue ipse Theologus sit, siue minus. Ita enim tandem robur et aes triplex circa pectus habiturus sciет, in quem credat, ita certitudine de sua fide plenus ipsam

B 4

ser-

seruaturus est constanter, et confitebitur  
vbique; dedecet enim opinor Virum co-  
gnitioni veritatum omnem suam vitam  
impendentem fluctuare in theologicis, ve-  
ritatumque sine exceptione omnium ne-  
xum non perspectum tenuisse, cum omnes  
aeternae sint, atque ad unum centrum  
suum dei sapientiam, ex quo profiscun-  
tur, iterum omnes coniunctim tendant.

## §. 7.

*Propositio.* Haec postquam ita praemisi, ad alte-  
nes fundá- rum imputatae mihi culpae momentum  
mentales se- accedo, quod unicum certe ita fese si ha-  
cundum beret, vitio mihi prima fronte verti pos-  
quas cogi- set, quod vero purissimum et sincerum  
tata Aucto- valde declaraturus sum liquido, modo Ver-  
ris diudi- bis quibus usus sum, iusta permittatur  
canda. explicatio, iustusque tribuatur significa-  
tus. Dolendum in genere est, inter Eru-  
ditos, quando inter ipsos adeo saepe nul-  
la intuitu rerum vera datur discordia, non  
raro omnem controuersiam in logoma-  
chiis consistere, sique id mali genus  
Theologiae contingat, non poslunt non  
millena infortunia inde enasci: docuit  
hoc abunde tristis omnium temporum  
historia. Verba nostra vere signa sunt  
nostrarum idearum et cogitationum, il-  
lorumque ope imponimus rebus singulis  
suum nomen, nomineque determina-  
mus peculiarem significatum; inferuiunt  
ergo

ergo nobis verba et vocabula ut res omnes a se inuicem segregemus , quarum vna praefens alteram necessario excludit. Postquam igitur affirmavi , et quidem quod statim notari volo , non sine consensu nostrorum librorum symbolicorum Theologorumque Aug. Confessioni ad dictorum , in S. Eucharistia in qua praesentiam Corporis et sanguinis Christi nunquam negaturus sum , non adesse illud naturale fibrosum et osseum corpus quod servator noster gessit ambulans in terris , neque illum sanguinem rubrum quem habuit in arteriis et venis ex alimentis et pollentis vi viscerum elaboratum , per leges humanorum corporum , idque ipsum assertum extra controvrsiam locandum mihi sumserim , praemittendae mihi quaedam sunt propositiones fundamentales , inconcussae veritatis , vt significatus et intellectus vocum omnium , quibus usurus sum , accuratissime determinetur. Ita enim constabit spero , quicquid etiam periculosi meis cogitatis inesse visum sit haud paucis , me nil statuere aliud , nil urgere aliud , quam quod ipsa nostra docet et urget Lutherana Ecclesia ; saltem me maiori perspicuitate , maiorique verum rotunde eloquendi libertate usum esse , quod ipsum in scriptis meis Medicis ita facere ubique solitus sum. Sequentes igitur Positiones dicendis in sequentibus

praemitto, quas ab Omnibus Eruditis mihi concedi postulo, cum Vniuersales sint, et a nemine in dubium vocari queant, nisi ab ignaro illarum Veritatum, quas hodie Literati omnes unanimi consensu euictissimas largiuntur.

- I. Res omnes, quae in sensus nostros incurrint, quaeque his mediantibus nobis ideam nasci faciunt, porro quae insita motrice vi sunt praeditae, atque in quibus motum aliquem animadvertisimus, vocamus *Corpora*.
- II. Ex eiusmodi Corporibus Mundus Vniuersus est compositus.
- III. Nexus ingens totius Vniversi Corporei, quod Mundum vocamus, quodque continua motibus in se invicem agit et operatur, vocatur *Natura*.
- IV. Ergo *corporeum* et *naturale* vocatur id, quod per insitas suas vires, secundum certas leges concreatas movet et movetur, atque in sensus nostros incurrit.
- V. Cum Spiritus tanquam substantia sentiens, cogitans, ratiocinans, volens, non cadat in sensus, neque legibus motuum in suis operationibus sit subiectus, sed plena agendi liber-

libertate polleat, patet corpus et spiritum esse entia a se inuicem prorsus et e diametro distincta, ita ut proprietates et affectiones essentiales vnius, excludant proprietates et affectiones alterius.

**VI.** Corpus constat ex materia, Spiritus existit sine materia, id ergo quod spirituale est, non est corporale et contra. Eapropter in Philosophicis doctrina de Spiritibus vere non ingreditur doctrinam de corporibus siue Physicam, sed tractatur in Metaphysica, itemque Pneumatologia vel Psychologia, in quibus simul differentia creatorum Spirituum et Spiritus summi non creati, sed ex se et per se existentis ab aeterno, docetur.

**VII.** *Supernaturale* est id, quod ad Naturam, eiusque vires motrices, atque corpora quibus hae inherenter non pertinet; quodque sensus nostros non ferit, insuperque ex materia et motuum legibus cognitis, sese haud explicari patitur.

**VIII.** Sensationes fiunt per certa organa nostri Corporis, per oculum, per aurem, per cutim; in haec organa quando contactu suo agunt corpora

pora naturalia vel immediato vel mediato, motus mutationem in iis producunt, a qua omnes adeo variae, semperque tamen determinatae sensationes.

**IX.** Ad Proprietates essentiales Corporum quibus positis haec ponuntur, pertinet Extensio, Soliditas vel Impenetrabilitas, Gravitas, Divisibilitas, Mobilitas, Inertia, Figura, Superficies, a qua resultat corpori non inhaerens color.

**X.** Corpus quod nostrum vocamus Toti Vniuerso in eo conuenit, quod sit extensione praeditum, cui individuo nexu adhaeret impenetrabilitas, diuisibilitas, figura, proprietates quae a corporis cuiuscunquē prima notione avelli nulla ratione queunt, nisi pereunte vera extensionis idea.

**XI.** Ad diiudicandam praesentiam aliquius corporis naturalis, vel corpori cuiuspam, non opus est, ut omnia sensuum organa mutationem ab eo patiantur, sensationi et ideae excitandae inferuituram; unum effectum fuisse sufficit. Vbi vero nullum ex omnibus Organorum sensoriorum afficitur, ibi negare licet, corpus aliquod vel aliquid corporei praesens esse.

Nemo

Nemo obiiciat, dari corpora naturalia subtilissimae materie, quae praesentia sunt in Natura, suamque tamen praesentiam sensibus non manifestant, ut materia electrica, liquidum neroosum, effluvia magnetis etc. dico enim effectus talium corporum naturalium incurrere in sensus, nascique phoenomena sensibilia, a quibus ad praesentiam talium corporum subtilium concludere tuto licet, licet ipsa sensus fugiant. Noto vero simul, id corpus naturale quod semel fuit sensibile et palpabile semper esse debere visibile et palpabile, quam diu id idem immutatum corpus manserit.

**XII. DEUS** erat, vel potius **DEUS** est, antequam Natura cum omnibus suis corporibus existeret. Est ergo ipse extra naturam, omnesque vires ipsius extra Naturam existentes, supra naturam extensae sunt. Est ergo, etiamsi nulla existeret Natura. Igitur **DEUS** est supernaturalis.

**XIII. Mysterium** est id, cuius existentia debetur causis extra Naturam positis, ideoque ultra vires sensuum humanorum et intellectus humani effectis; atque per actionem et nem  
xum

xum corporum naturalium haud explicabilibus.

Largiri possum dari etiam Mysteria physica; mysterium vero physicum est id, cuius existentiam per phoenomena in sensus incurrentia scimus, causis interim ob subtilitatem et agendi modum sensus nostros fugientibus, ita aestus maris, vis magnetis qua ferrum attrahit, actio musculi, operatio opii et mercurii possunt dici mysteria physica, e quibus tamen multa iam intelligimus, vel intelligere incipimus hodie, quae Veteres sub qualitatum occultarum nomine latebant prorsus. Multum vero distat mysterium metaphysicum vel theologicum a physico, nam in illo nec existentia nec causa per ulla phoenomena in sensus incurrit. Satis vero patet ex his Mysteria theologica cum sint supernaturalia, nil naturale vel physicum posse ingredi.

XIV. Miraculum est effectus in sensus incurrens, sed contra omnes leges naturales corporum eueniens, ideoque id ad solum DEUM eiusque vires referendum, a cuius folius liberrima Voluntate leges naturales pendent, quas itaque ipsi suspendere licet pro lubitu. §. 8.

## §. 8.

Forsan autem haec omnia dum stabili-  
lire molitus sum, ex Newtonianis et Wol-  
fianis Principiis Verissima, aliqui Lecto-  
rum meorum iam mihi obiecere, excepta  
Notione Misterii et Miraculi, reliqua ad  
Philosophiam et Physicam spe*clar*e, neque  
Reuelationi et religioni temere immiscen-  
da esse. His vero ne me progredi ulte-  
rius volentem diu morentur, statim re-  
pondeo, DEUM aequa esse Autorem  
Naturae ac Autor est Reuelationis, ne-  
que posse utramque inter se pugnare cum  
**Opera contradictoria in DEUM non ca-**  
**dant;** debent ergo omnino conciliari pos-  
se, sique aliquis adesse videatur dissensus,  
certissimum esse, nos aut non intelligere  
Naturam, eiusque operationes, aut scri-  
pturam non rite interpretari. Scilicet  
Libri Naturae et Libri Reuelationis unus  
idemque scriptor est, iam vero Scriptor  
humanus vitia intellectus commisisse dici-  
tur, si sibi contradixerit, in duobus libris,  
an igitur tale quid cogitare licet de Scri-  
ptore intelligentissimo, intellectus nostri  
simul Autore? Neutiquam certe! sed pa-  
tius cum Illustri illo Medico-Theologo  
Hoffmanno ita in Aphorismis suis *Summam*  
*doctrinae Christianae*, quam in superiori-  
bus cito*au*i, exhibitibus, sentiente, omni-  
no statuendum est: *Lumen Reuelationis*  
*non destruere Lumen Naturae, adeoquae*  
*Veri-*

*Illae a Re-  
uelatione es  
Religione  
non probis-  
bendas.*

*Veritates quas per Reuelationem diuinam capimus, non contrarias esse Veritatibus, quae ex lumine Naturae fluunt, sed potius supra illud esse, vt lumen maius exaltet lumen minus, quandoquidem unus idemque Autor sit Naturae et Scripturae.\*)*  
 Haec si vera fuerint omnia, veniam dabant facile Theologi aequitatis amantes, homini a iuuentute sua physicis et medicis principiis innutrito, quae dum theologica meditatur venerabundus, eiurare tamen, et euellere animo, etiamsi id ardentissime exoptaret, omnino nequit. An pati debet, vt haec remorentur pie-tatis suae studium? an, quando enixe vellet, se dum cogitans S. Eucharistia utitur, nesciuisse interim, et obliuioni dare potuisse Physicam et Medicinam, a qua nulla salus aeterna, iniussas sibi quasi obuiam incidentes proprietates et leges corporum naturalium alias sibi imaginari potest? Sane dum ipsi per omnem vitam cum his res est, dum his ante accessum ad mensam Seruatoris et post discessum occupatur, an tum debet confundi, an potius anhelare et studere serio, ut utrasque Veritates theologicas et physicas conciliet ita, vt neutra tollat alteram. Ita certe fese cum omni Philosophia gesserunt nostro Aevo Theologorum sagacissimi, praeteriere enim per diuinam gratiam infelicia

\* ) aph. XIII,

felicia illa et obscura tempora, quibus Philosophia Ancilla Theologiae habebatur, quibusque religionem rationali considerationi subiicere, atque quoisque licet intelligibili methodo explanare, improbum facinus habebatur, atque sape re audentibus religioni erat. Hodie certe non amplius seruum pecus habentur Philosophi, nec Theologiae Ancilla reputatur Philosophia, sed ambae habentur dominae, ambae amicae coniunctissimae, sororias manus sibi inuicem ad gloriam DEI amplificandam praebentes. In nostra maxime Ecclesia, multum nostro aevo valet ratio, ipsique soli acceptum referimus, quod multo maiori perspicuitate gaudeat Theologia; quod lumine suo illius ope accenso vel inuitorum et studio oculos claudentium aciem feriat coruscans; quod demonstrationum rigore argumentorumque ordine strin-gat et conuincat fortius; quod errores multo facilius reuellere norit quam elapsis Seculis. Atque nunquam certe immortalis *Reinbeckius* desideratissimus *Can-zzius* summusque quem DEUS diu superstitem esse iubeat *Mosbemius* theologicas Veritates concatenato adeo nexu pro-posuissent, assensuque omnium potiti fuissent, nisi Philosophicis Scientiis antea adeo probe fuissent imbuti.

## §. 9.

*Sensuum  
vssus in Re-  
ligione.*

*Christus  
fuit verus  
sensibilis  
homo.*

Docet interim, et monstrat accuratissime senior Philosophia, quousque procedere queamus in cognitione rerum diuinarum. Omnis quippe cognitio et scientia humana incipit a sensibus, indeque natis ideis, ac ex iis emergentibus propositionibus affirmantibus vel negantibus, a quibus quasi per scalam adscendimus ad ratiocinia abstractissima. Ad earum rerum cognitionem, ad quae sensuum ministerio non deducimus, intellectus noster nunquam penetrat, sed subsistit eneruatus, et terminos suos agnoscit ipse. DEUS igitur cum extra Mundum existat, sensibus nostris incomprehensibilis, vires ipsius nosse, metiri, et dijudicare, nostro intellectui impossibile. Hic ergo definit ratio, hic incipit fides; hic conuincimur de Mysteriorum existentia; quae saltem cognoscimus quatenus nobis reuelata sunt, nec capimus his corporeis vinculis irretiti. Hic ratio captiva ponit superbiam, fidei saluisticae obsequiosa et obediens. Verum dum definit ratio, vbi sensibus ducibus destituitur, non tamen exiuntur libertate sensibus utendi, vbiunque potest, eorumque ministerio penetrandi in ipsam doctrinam de sacramentis, quousque ipsis penetrare datur, si saltem progrediatur cauta, et ea tenere ab iis haud abesse neget, quae

prae-

praesentia vere et omni praesentia esse possunt, licet sensus praesentiam et omni-  
praesentiam non aduertant. Denuo hic prouocare possum confidenter ad ea, quae in libello meo, ex sententia non alicuius Philosophi sed magni Theologi B. *Rambachii* adduxi. Contendit nempe Vir hic sum-  
mus, et affirmat, Sensibus externis et in consideratione sacramentorum fidendum esse, hocque pro vero constanter haberi debere, quod testimonium ipsorum semper et ubique demonstrat. Asseuerat porro, equidem nobis licitum non esse, a sensuum ministerio depromere iudicium de rebus mere spiritualibus, de illis nimis mysteriis, quae prorsus nil corporei complectuntur, veluti de mysterio S. S. Trinitatis, valere autem omnino iudicium ex ideis sensualibus natum, vbi de corporeo quoipam sermo fuerit, quamdiu sensuum organa saltem bene compara-  
rata fuerint. At vero quid opus est, ut prouocem ad Theologum Magni Nomini-  
nis? prouocare possum fidenter ad Christum Seruatorem ipsum, qui usum sensuum, in sui ipsius praesentia diiudicanda non permisit saltem, sed postulauit. Cum enim post Resurrectionem suam accederet ad discipulos, illique existimarent sese videre Spiritum, ipse autem illos de vera sua corporea praesentia vellet conuincere, dicebat illis *Lucas XXIV.39. Videte Manus*

C 2

meas

*meas et pedes meos, quia ego ipse sum;*  
*Contrectate me et videte, quia spiritus car-*  
*nem et ossa non habet, sicuti me videtis ha-*  
*bere.* Atque quomodo Christus aliter  
 potuisset sese gerere? an enim Mundum  
 ingrediebatur eum in finem, ut sensus  
 falleret; ut vim inferret rationi humanae,  
 sine qua omnis Cognitio DEI, cultusque  
 omnis diuinus perit et aboletur; ut na-  
 turam vel tantillum immutaret aut con-  
 funderet; ut alium ordinem rebus natu-  
 ralibus induceret; ipse Λόγος, sermo,  
*per quem Pater creauerat omnia, quae*  
*in coelis sunt et quae in terra visibilia et*  
*inuisibilia. Coloss. I.16.* Per quem omnia  
*facta sunt, et sine quo factum est nihil*  
*quod factum est; Ioh. I.3.* an inquam Or-  
 bem terrarum ingrediebatur ut leges mo-  
 tuum corporibus in primordio existentiae  
 suae concreatas tolleret, et antiquas eo-  
 rum actiones, in semet ipsa, inuerteret?  
 Quis Theologorum hoc ipsum asseruerit  
 vnquam! Scopus certe vnicus, cur DEUS  
 cum Patre et Spiritu S. hominem indu-  
 ret, saltem erat ille, ut Mediatorem in-  
 ter DEUM Patrem suum laesum, et inter  
 nos Peccatores legum diuinarum trans-  
 gressores, sese praestiturus Victimam pro  
 criminibus nostris immolari posset; quare  
 opus erat, ut eum exinanitionis statum  
 subiret, in quo Mors erat possibilis, adeo-  
 que ut indueret corpus humanum natura-  
 le,

le, et ex sua natura mortale. Eam ob causam quoad corpus suum quod assumserat totum sese subiiciebat Naturae legibus, licet earum cum Patre Auctor eslet. Conceptus quippe Virtute Spiritus S. in Vtero Mariae exiguis foetus naturam humanam de Matris substantia assumebat, ex Maria nascendus *Lucae I. 35.* Fruetus Ventriss ipsius *Lucae I. 42.* Filius Dei factus ex muliere *ad Galat. IV. 4.* euoluebatur indies, ulterius, effingebatur, et formam capiebat *Rambach Homil. in festum Annuntiat. Mariae* nutriebatur, et increscet aduoluto per vasa materna sanguine, atque ut *Hieronymus ad Eustachium loquitur Nouem mensibus in Vtero expectabat, sustinebat fastidia, egrediebatur cruentus*, completis diebus parienti *Lucae II. 6.* nixibusque partus edebatur, prorsus iisdem ut alii infantes. Conficiendus tum neonatus pusio, pertinebat ad Vniuersum corporeum, atque ita quemadmodum pueri commercium habent cum carne et sanguine, ita ipse similiter sese eorundem participem esse monstrabat. *Hebr. II. 14.* Erat quippe naturalis, totoque suo corpore sensibilis seu palpabilis et visibilis homo, similis aliis hominibus ac figura repertus ut homo. *Philipp. II. 7.* Augmentum corporis capiebat *Lucae II. 40.* vigilabat, dormiebat *Luc. VIII. 23.* plorabat *Luc. XIX. 41.*

appetebat et esuriebat *Matth. XXI. 18.* comedebat, bibebat, digerebat, atque visuorum Viscerum ex alimentis reparabat iacturam elementorum quam fluida et solida circulatorio motu fecerant, secretiones et excretiones solemnes corpori humano experiebat, quare etiam defatigabatur, per motus voluntarios, atque quiete indigebat ut refocillaretur. *Ioh. IV. 6.* Cute, carne muscularia, pinguedine, ossibus ut nos induitus erat, sanguinemque cum nostro prorsus eundem in arteriis suis et venis gerebat. Sanissimus interim erat, nulli morbo subiectus, lineamentorumque in vultu ductu, ac membrorum omnium decenti proportione et conformatione spectabilis, hominumque omnium pulcherrimus. *Psalm. XLV. 3.* Nulla vero alia ratione corporis intuitu anteibat nos homines; quantum attinet ad carnem, ex Patribus proueniens. *Rom. IX. 5.* Fratris nostri Nomen haud detrectans. *Hebr. II. 11.* ex semine Davidis oriundus. *Rom. I. 3.* suosque habens consanguineos ex communi quem cum iis habebat sanguine humano satos.

## §. IO.

*Non ob-  
stante con-  
iuncta sibi  
Deitate.* Bene vero noui Christianus, dum haec scribo, in Christo homine totam plenitudinem diuinitatis corporaliter hoc est veluti

veluti Animam in corpore habitasse.  
*Coloff. II, 9.* Neque mihi ignorantur illa  
 omnia, quae de Communicatione idio-  
 matum afferunt et urgent Theologi no-  
 strates, Hominemque simul DEUM,  
 DEUM simul hominem, filiumque Ma-  
 riae simul filium fuisse DEI, scriptura do-  
 cetus *Luc. I, 35.* credo; diuinitatemque ad  
 humana idiomata appropinquasse, huma-  
 nitatem diuinitate coruscassem nullus am-  
 bigo. At enim vero nihilominus illaesfa  
 reuerentia, quae Redemptori nostro san-  
 ctissimo debetur, afferere potero, quan-  
 do de functionibus illis quae solum cor-  
 pus eius respiciebant, illiusque vitam  
 animalem, quaeque omnes successurae  
 fuissent, si Christus nudus exstitisset homo,  
 atque quando de partibus solidis et fluidis  
 motu suo successui functionum seruenti-  
 bus sermo est, horum omnium confide-  
 rationi et explicationi Diuinitatem neuti-  
 quam immiscendam esse. Idque tanto con-  
 fidentius mihi licebit asseuerare, quo ma-  
 gis etiam quando ipsum adeo ut Redem-  
 ptorem contueor, in ipsa S. Scriptura  
 eum Mediatorem Hominem Iesum Chri-  
 stum vocatum lego. *i Timoth. II, 5.* Vix  
 auderem Medicus de summa exinanitione  
 filii DEI quatenus verus homo fuit, ver-  
 ba facere, quae mea forent, Vererer  
 quippe ne Theologis displicerem, trahere  
 itaque potius huc volo ea, quae scripsit

Orthodoxus et Aug. Confessioni addictissimus Augustus Pfeifferus qui Christum per illos triginta annos quos in terra transegit, veluti alio somno mersum habitantem in se quidem sed quiescentem Diuinitatem non sensisse, saltetque interdum quasi vigilare inciperet ut olim Simson radium aliquem diuinæ Maiestatis conspiciendum præbuisse edixit. \*) Nisi vero omnia me fallunt praeter ρῆματα ζωῆς ἀνανίσ qualia a hominum nemine unquam audita sunt, saltet radios tales diuinos in sensus eorum, inter quos versabatur incidentes de se sparsit, quando Miracula edidit, id est quando effectus præstítit, qui causis naturalibus et earum agendi legibus repugnabant; tumque homini sibi, et corpori suo naturali DEUM iungi docuit manifeste. His exceptis, exceptisque actionibus mediatoriis, ac tibusque illis omnibus qui ad munus eius regium, propheticum, et sacerdotale propriètate, qui que ad Theologiam solam pertinent, coetera omnia si contuearis, fuit verus homo, et tanquam verus homo considerari potest, a Physicis et Medicis; horumque asserta corpus eius humanum solum respicientia, ni sacrae scripturae sint contraria, debent præferri assertis Theologorum, nisi hi Physics et Medicinae

\*) Im wohlbewährten Evangelischen Augapfel Art. III. homilia 4. p. 222.

cinae simul fuerint exactissime gnari. Ne hic iterum mihi saltem patrocinari solus videar, pro me loqui faciam pientissimum et simul Physices peritissimum Medicum Scheuchzerum, qui certe per totum suum aureum Opus, quod Physicam sacram salutavit, mille documentis suam Venerationem erga DEUM testatus est. Is occasione sudoris Christi, sanguinei, quem pro Miraculo agnouit, licet secus senserint Medicorum quidam haud leuioris notae, haec verba notatu dignissima consignauit. *Redemptor noster erat utique miraculosus et fortis DEUS, sed tamen simul patiens omnibusque debilitatis humanis subiectus homo, ut sine peccato. In iis igitur quae ipsi acciderunt dum pro nobis pateretur, uno oculo Deitatem eius, qua aptus reddebat, ut sufficeret passiones, quas omnes homines omnium aetatum non sustinere potuissent, altero oculo eius humanitatem respicere debemus, id est corpus eius debile, et sensibile humanum, cuius operationes et effectus omnes euenerent secundum illum Ordinem, quem DEUS semel Naturae indicavit.* \*) Haec distinctio si adeo in Miracolorum consideratione, de quibus hic agit Vir perspicacissimus attendi debet, quidni attendi debebit tunc, quando omne miraculum abest, et solus ordo naturalis

C 5 obti-

\*) Discursu ad Tab. DCCXX.

obtinet, eoque magis circumspete satis  
et serio, ne excessu quodam religiosae  
Pietatis quae aequo interdum ac defectus  
culpabilis est, digrediamur lento pede ad  
superstitionem, cui hac ratione omnino  
via panditur. Scilicet ipsi Theologi no-  
strates monent et inculcant, Vnionem  
duarum Naturarum in Christo, ab omni  
mutatione unius in alteram, ab omni mi-  
scela utriusque et confusione prorsus fui-  
se alienam. Homo non fuit DEUS,  
DEUS non fuit homo, sed unio obtinuit  
utriusque; corpus mere physicum habi-  
taculum faltem se praebuit Deitati hyper-  
physicae, cuius radiis tamen simul corus-  
cauit. Patet ergo et nos peccare, si  
DEUM concipiamus corporeum et physi-  
cum, qui Spiritus est incorporeus et hyper-  
physicus; et peccare aequo, si in corpo-  
re humano naturali legibusque motuum  
in eodem Natura obuiis aliquid ponamus  
diuini, quasi aliquam particulam Deitatis,  
licet haec deitas iuncta fuerit humano cor-  
pori, atque maxime interuentu animae  
humanae Redemptoris, cuius coetero-  
quin corpus, nil fuit aliud quam Machi-  
na, vt nostra humana corpora. Neque  
per ipsam vim assertorum theologorum  
de nulla miscela et mutatione duarum na-  
turarum admittenda, his quae elocutus  
sum aliquid decedit, quando, ubi de Re-  
demptore sermo est in S. Bibliis, pro-  
miscue

misce folius Vnionis non separandae respectu, tribui DEO legimus, quae homini tribuenda reputaremus, hominique quae ad DEUM solum quadrare ducemus. Evidem *Iesum natum esse Bethleheni* legimus *Matth. II, 1.* cum tamen nasci ipsi saltem tanquam homini competit. Ita *DEUS suo sanguine Ecclesiam redemisse* dicitur *Act. XX, 28.* quod de sanguine Redemptoris quatenus homo fuit intelligi debet. Ita *Princeps Vitae* habetur *interfectus Act. III, 15.* et *Dominus Gloriae crucifixus Cor. II, 8.* cum tamen Seruator non mortuus sit vt viuens DEUS, sed vt morti obnoxius homo; quemadmodum etiam *Filium hominis de coelo descendisse* legimus *Ioh. III, 13.* vnde saltem filius Dei descendisse potuit. Verum enim vero ne hisce phrasibus confunderemur, optimo etiam cauit S. Scriptura, quando quae ad Deitatem quae ad humanitatem referenda sunt, seiuinxit alibi et distinxit ipsa. Scilicet *Christum qui est in omnibus DEUS laudandus in secula, ex partibus venisse secundum carnem Rom. I, 3.* *IX, 5. mortificatum carne Cor. III, 18.* *filium dei esse secundum spiritum Rom. I, 4.* *viuificantum spiritu I. Petr. III, 18.* disertis Verbis testata est. Ecce ergo, dum scriptura ipsa ita Physicis et Medicis patrocinatur, hi ambigerent afferere, Christum quatenus Deum, non habuisse car-

nem

nem et sanguinem, huncque et illam, aequae male ipsi tribui, ac Deo sensu proprio tribuerentur, aures, oculi, manus, pedes, licet scriptura haec Deo interdum tribuat. Nunc autem si ulli alii, sane mihi certe optandum esset, ut haec omnia, quae bene perspecta tenent, Theologi, probe perpendant, antequam Medicos male applicasse Physicam et Medicinam queruntur, quando de Corpore Christi folo, et eius actionibus solis, ex inuitis principiis anatomicis et physiologicis philosophantur. In eiusmodi casibus certe, quando illi aliquid audiunt, quod ipsis contra deuotam reuerentiam qua excipiendus est sanctissimus Seruator, dictum, durumque auditu videtur, nil interest provocare, ad unionem λόγος cum homine, namque σάρξ λόγος nihilominus fuit caro mere humana, αἷμα λόγος non fuit sanguis diuinus, diuinitas non fuit carnea et corporea, absentia peccati spestat ad solidam animam, non ad machinam Corporis, satisque certum est corpus illud, quod mori potest, non posse esse aliud, quam simpliciter humanum. Si aliquis afficeret et probaret vere, diuinitatem effecisse ut Christus haberet corpus suprahumanum, et plus quam naturale, aut in non nullis ab hominum corporibus diuersum, tum faltem hinc inde aliter sentiendum esset de Christi corpore quoad solida et fluida,

fluida, sed quo minus id faciamus ipsa ue  
modo vidimus vetant S. Biblia.

## §. II.

Atque id omne quod  $\wp$ ho antecedente edifferui, si coniunctim perpendere aequo animo voluissent Censores mei mitiores et rigidores, ea quae de sanguine Christi humano putredini sine dubio obnoxio scripsi, certe non calamo mentem praecurrente, sed serio et maturo confilio, aliter spero interpretati fuissent. Posito nimirum omni horrore, mea verba non Christiano indigna, non profana, non blasphemata, habuissent, Vulgumque fortuna et intellectu talem, ad quem omnia haec plane non spectant, correxisserunt potius, et in meam famam debachantem retraxissent, quam calculo suo adiecto, suo sensu abundare permisissent. Cogitent illi omnes qui laesi sunt a me hac locutione, omnis criminis insonte, Seruato rem sanctissimum a primo momento quo post conceptionem diuina spiritus sancti virtute praeditam, nutritus est Mariæ Matris sanguine, usque ad id momentum quo animam reddidit fuisse quoad corpus, verum et simplicem hominem; atque per omne hoc vitae suae tempus quod intra uterum foetus, et extra eum Puer, Iuuenis, Vir absoluit, ad mortem usque, sine exceptione omnia de eius corpori.

*Sanguis  
Christi quo-  
usque patre-  
dini obno-  
xius fuerit.*

corpoere praedicari posse, quae praedicare  
licet de corporibus omnibus naturalibus  
hominum. Teneant vero iam probe per-  
spe&gt;tam Eruditissimi coeteroquin Theolo-  
gi veram notitiam physicam et medicam  
vitae humanae, atque ingenium craseos  
humorum, quorum cursu perenni vita  
absolutur, atque breui mitius de me sen-  
tire incipient. Demonstrauit *Stahlius*  
Vitam esse Mixtionis animalis sua natura  
in putredinem cito lapsurae, conserua-  
tionem, per continuas secretiones et ex-  
cretiones particularum illarum, quae in  
putredinem iam vergunt, beneficio mo-  
tus circulatorii praestitam. Neque ab-  
horrent ab eius sententia Mechanici *Boer-  
haauius* et *Hofmannus*, consentiuntque  
Medici omnium sectarum, omnium re-  
gionum omnes, namque ne vnum noui,  
qui aliter statuat. Si vero Christus fuit  
homo nobis in omnibus similis, an gau-  
sus est corpore aliis mixtionis? Nonne  
potius eodem modo, in Corpore Christi  
humano, vt in omni alio, vi vitalis cir-  
culi per vasa prouoluti, degeneratio hu-  
morum in putredinem vergens, sola ex-  
clusione molecularum alcalescentium, id  
est putrefactare iam incipientium, persen-  
sibiles et insensibiles excretiones auerfa-  
fuit? Nonne accessu continuo noui chyli  
sua natura ad acescentiam proni, vt lac,  
perpetuo haec diathesis alcalescens pro-  
hiberi

hiberi debuit? Nonne ergo Christus eadem ac nos oeconomia vitali vsus, gesit in vasis suis sanguinem continuo corruptioni putredinosae obnoxium? Nonne habuit cutis cribrum apertum, per quod transpiratione et sudore exiret tenue halitiosum alcalescens? Nonne in eius rebus secretae a sanguine paulo crassiores quisquiliae salinae et sulphureae? Nonne in hepate eius separata bilis fuit humor bili nostrae similis, id est humor inter omnes reliquos putredini quamproximus, semperque eapropter post officia sua praestita, e corpore eliminandus? Nonne tandem opus habuit Christus, vt chyli noui prouentu accedente condiret suum sanguinem, eiusque diathesin putredinosam ita inhiberet et auerteret? Quis nisi omnis Physices et Medicinae ignarus haec omnia negare auderet? quis quaereret an assumptione alimentorum, digestione eorum, et conversione in chylum vi viscerum opus habuisse Christus, qui perpendereit eum vere esuriuisse. Quaesito autem quid est esurire? seu sensum habere, qui appetat cibum? Respondeat ad hoc quae situm Medicorum omnium Princeps Boerhaauius!  
*Is sensus a benignissimo Creatore sapientissime datus est mortalibus, ut eos admonearet de imminentे periculo a putredine alkalina, quam humores nostri repetito motu concipiunt, cito destruunt corpus humanum,*

*manum, nisi recente chylo et minus alcal  
lescente diluti mitigentur.* Dicant Clari-  
fissimi Theologi an in Seruatoris cor-  
pore fuerint eadem causae excludentes  
famem, quam in aliis hominibus? si an-  
nuant, et alias ignorant tradere, conce-  
dant oro, toto Vitae tempore in humo-  
ribus ipsius quotidie innouandis domi-  
nasse imminentem putredinem. Atque  
imminens haec putredo sanguinis circu-  
latorio motu indueta, sed et eliminatione  
particularum putredini proximarum et  
admissione noui chyli per ipsum hunc mo-  
tum praepedita, inuoluere necessario de-  
buit necessitatem inchoandae verae pu-  
tredinis in sanguine, si contrariae condi-  
tiones illis, quibus solis auertebatur, ob-  
tinuerint. Nempe prorsus eadem ratione  
qua sanguis noster naturalis, non motus  
per vasa, sed quiescens, stagnans, et ex-  
tra ea effusus, cito vera putredine cor-  
rumpitur, id idem de Christi Seruatoris  
sanguine humano effuso ante mortem qua-  
cunque ratione, valere debet necessario,  
donec probetur contrarium, aliter enim  
vel huius phoenomeni solius intuitu san-  
guis Seruatoris fuisse potius liquor qui-  
vis alius, quam sanguis humanus, tali  
vero destitutus, vel sola hac considera-  
tione Christus non fuisse verus homo,  
nihil humani a se alienum esse volens.  
Notent hoc obsecro Theologi quibus  
profa-

profanus habeor, consulantque precor  
Medicos quouscunque vel Religiosissi-  
mos, circa meam haeresin, sciantque  
nunc, ideam sanguinis humani sociam  
semper sibi habere ideam dispositionis ad  
putredinem, dum enim sanguinem cogi-  
to, cogitare simul debo eius partes con-  
stituentes, earumque crasis naturalem,  
ex qua fluit diathesis alcalefendi; hanc  
diathesin alcalefendi si demas, non am-  
plius cogitare possum sanguinem huma-  
num naturalem, vna nimirum idea inuol-  
uit alteram. Longe vero hic a me abest,  
nefaria et vesana temeritas negandi, co-  
hibitione motus illius intestini particula-  
rum, qui naturaliter in sanguine stagnante  
extra vasra obtinet, quoque eius dissolu-  
tio et corruptio perpetratur, per mira-  
culum cruorem illum e Corpore Serua-  
toris, per sudorem in Monte Oliuarum,  
atque per vulnera a flagellis et spinis elap-  
sum, omnino posuisse defendi a putre-  
dine. Quis enim mortalium eo proce-  
deret Andaciae, vt id vel per somnium  
abnegare audeat? Fuit vtique Christus  
Seruator cum Patre suo et Spiritu S.  
DEUS Naturae Auctor, atque legislator  
Ordinis in Toto hoc Vniuerso; atque  
Philosophorum acutissimus suprahumano  
fere suo intellectu ad Angelicum proprius  
accedens prae aliis Mortalibus *Isaacus*  
*Newtonus* cui naturam pene nudam quasi

D

suis

suis Vestibus detractis contueri datum  
 fuit, in explicatione aetiologyae legum  
 naturalium nullam inuenit, nisi liberri-  
 mam Voluntatem DEI. Anne igitur fa-  
 cillimum fuerit DEO suspendere ad tem-  
 pus legem naturalem corporibus inditam,  
 ex quo solo momento rectissime Miracu-  
 lorum a Christo praefitorum possibilita-  
 tem et veritatem dedit *Connor in Euan-*  
*gelio Medici.* Dum exempli gratia Matth.  
**XIX.** 25. in maris fluctibus ambulabat  
 Redemptor, saltē suspendere debebat  
 ad tempus constantissimas aliter in Natu-  
 ra leges Corporum Grauitati praescriptas,  
 secundum quas Corpus leuius ninori ni-  
 xu fertur versus centrum terrae, quam  
 corpus aequalis Voluminis grauius, ita  
 ut corpora quorum Massa grauior est ae-  
 quali massae aquae, in aqua tanquam li-  
 quido specifice leuiori subsideant. Id  
 omne sane suae potentiae relictum habe-  
 bat Seruator, tumque suspenso per suam  
 voluntatem hoc ordine naturali, poterat  
 ambulare, neque poterat submergi. Ve-  
 rum is effectus miraculofus per leges na-  
 turae cognitas non explicabilis, sed iis-  
 dem potius repugnans, cadebat in omni-  
 um qui praesentes erant, sensus, vt alii  
 plures, e. g. quando aquam abire facie-  
 bat in vinum, quando procellas sistebat,  
 quando varios aegros insanabiles sanabat,  
 quando adeo mortuos resuscitabat; atque  
     insu-

insuper omnes solerter in S. Scriptura notantur. Non vero proinde nobis licet pro lubitu Miracula fingere, atque de rebus Naturale Corpus Christi concernentibus statuere, quae legibus naturalibus aduersantur, quando S. Scriptura tacet; id enim in nostra Ecclesia haud receptum est, quae potius ab eiusmodi figmentis serio dehortatur. Sanguis Christi omni sua dote nostro fuit Analogus, alias ipse non fuisset verus homo; Sanguis quippe fons est omnium humorum humani corporis, promusque condus omnis iacturae quam perpessa sunt fluida et solida corporis, verumque principium et fundamentum omnis Humanitatis. Si vero in his omnibus nobis non fuisset similis Seruator, etiam non mori potuisset per illas causas physicas, quae nobis mortem inducere aptae sunt.

## §. 12.

At vero vere mortuus, et sic perfunditus omnibus muniis, quibus sese deuoverat ad Mortem usque Amator ardentissimus Generis Humani, confectoque magno illo Redemptionis Opere, ponebat hominem naturalem, siue desinebat habere Corpus in omnibus nobis simile. Namque Corpus eius contusionibus licet vibicibus, vulneribus et ylceribus lace-

*Quousque  
non.  
Locorum  
Scripturae  
obstare viso-  
rum iusta  
explicatio.*

D 2 rum,

rum, sepulchro inditum cum omni sanguine qui in vasis supererat, per verum Miraculum quod negare piaculum, cum id praefatio suo testatus fuerit *Psaltes XVI. 10.* cum id legatur *Aetor. II. 27. 31.* incorruptum perststit, nullique putredini obnoxium tertio die resurrexit. Primo nempe a facta miraculosa conceptione momento quo induit μορφὴν δεῖλας corpus naturale gestauit, donec immitteretur sepulchro. In eo incepit μορφὴ θεός, ex eo resurrexit DEUS, indutus corpore supernaturali simplici, rudis materiae experte, quo apparuit discipulis, quo subito quandoque disparuit, quo tandem Regnum Coelorum ingressus est Victor peccati et mortis gloriosus, triumphatus in aeternum. En dies Carnis *Hebr. V. 7.* siue Statum exinanitionis, cuius principium cum Theologis aliis supra laudatus *Pfeifferus* allegato loco ponit a momento primo post conceptionem, cuius finem collocat in sepulchro, in cuius tenebris incepit status exaltationis. A priori miraculis solis exceptis naturale remouere absconum, posteriori immiscere absurdum. Prior physico, posterior theologicō oculo lustrari debet. Duobus vero statibus bene a se inuicem seiuētis, rite succedere potest Seruatoris consideratio, nihil irreligiosi nihil superstiosi habitura. Non nego, si physico et medico oculo clauso,

theo-

theologico saltem ubique uti velimus, occurrere in S. Bibliis loca, quae non rite animaduertentibus pugnare videbuntur cum iis quae de sanguine Christi in statu exinanitionis valere debere assueraui. Bene memini Verbis meis in libello de Cholera obuiis *sanguinem Christi sine dubio in putredinem lapsum fuisse*, ut nostrum putredini obnoxium opposita fuisse quae leguntur i Petr. I. 18. 19. atque eximia doctrina fuisse notatum, Petrum corruptibili (Φθαρτῷ) pretio cuicunque, et si alioquin pretiosissimo, opposuisse hoc ipso nomine pretiosiorem, sanguinem Iesu Christi, quo redempti sumus; adeoque ex lege oppositionis necessario sequi debere, non tantum nunc illum non esse corruptibilem, sed neque tunc cum effunderetur computruisse aut computrescere potuisse, vel debuisse. Verum licet leuissima sit mea in Graecis peritia, non ignoro tamen Φθαρτῷ ut vocantur aurum et argentum in textu sacro, non saltem significare *corruptibilia*, sed etiam *vana* et facile perdenda, quare et in Versione latina Φθαρτῷ haec dicuntur *res caducæ*. Ita enim in ea verba omnia se habent. *Sciatis vos non caducis rebus* (nequaquam corruptilibus) *velut argento et auro fuisse redemptos*, *sed pretioso Sanguine Christi*, *velut agni immaculati et contaminati*. Illum Vocabuli Φθαρτῷ

valorem, quem vernacula nostra lingua expressit per vocem *Vergänglich*, si considero, non bene video hic obtinere legem oppositionis; quando enim de corruptibili sanguine sermo est, innuitur destrutio plenaria eius craseos, per motum aliquem intestinum cohaesionem particularum constituentium seungentem. Metalla vero haec nobilia aurum et argentum potius sunt incorruptibilia, hoc sensu, licet sint res vanae et res caducae, prestant quippe in quiete in calore quin in igne intensissimo fixa, nec in ea cadit motus intestinus qui naturalem mixtione destrueret. Atque ob hanc fixitatem et incorruptibilitatem in igne, aurum in igne probatum constantis fidei symbolum habetur in sacris literis, quam preciosiorem auro πολὺ τιμωτερον χρυσία τῇ ἀπολύμενῃ, auro quod perit et perdi potest existere debere cupit Petrus *1 epist. I. 7.* Cum cura nota, nec hic nec in altero loco mihi opposito *v. 18.* legi Vocabulum Φθορᾶς vel ἡΦθορίας corruptionis et incorruptibilitatis, ut ad Corinth. XV. 50. vbi manifeste ad Φθορὰν caro et sanguis refertur, atque nec hunc nec illam tanquam corruptibilia Regni DEI haereditatem consequi posse a S. Paulo docetur. Mihi laico si in Verbis Petri superioribus *1 Epist. I. 18. 19.* quae repugnare mihi credita sunt explicandis  
licue-

licuerit agere Exegetam, ita hoc dictum explanandum statuerem. Sanguis Christi physice consideratus non fuit pretiosior alio sanguine humano, nam ex aliamentis communibus aliis hominibus elaboratus fuit, iisdemque elementis ac alias humianus constituit. Quodsi vero aliis respectibus variis de Sanguine Principis Hominis, qui subditis suis solatio et saluti est, dici potest, quod sit pretiosissimus, cur non infinites maiori iure hoc posset dici de sanguine Christi, quo licet mere humanus esset, effuso tamen pro nobis ita ut ab effusione mors sequeretur (nam in morte vnicus rerum cardo vertitur nostram salutem complectentium) redemit Animas nostras in aeternum a DEO abfuturas, et in gratiam nos redire fecit cum Patre suo. Cum igitur hoc ipsum opus Redemptionis nec per mortes innumerar hominum aliorum simpliciter talium, nec per omnes gazas huius Vniuersi posset succedere, hac consideratione sanguis Christi Agni immaculati sine peccato, fuit pretiosior omnibus Gazis mundanis, non ratione corruptibilitatis gazarum et incorruptibilitatis sanguinis, nam inter gazas et sanguinem hoc respectu nulla datur analogia et relatio physica, nulla corruptionis intuitu valet oppositio. Atque prorsus eadem ratione, si interpretatio aliorum locorum in S. Scriptura rite in-

D 4. stitua-

situatur, illa meis physicis explicationibus non contrariari elucescet, licet magno Zelo haud pauci existimati sint, me hominem Ieuis Animi minusque religiosum, turpiter illum Sanguinem Filii DEI putredini obnoxium statuere potuisse, qui nos emundat et lauit ab omnibus peccatis nostris 1 Ioh. I. 7. Apocal. I. 5. illum Christi per spiritum aeternum semetipsum immaculatum Deo offerentis sanguinem, qui purgat conscientiam nostram a mortuis operibus Hebr. IX. 14. Fateor sincerus, contremiscens et anxius percepi has variorum obiectiones, atque stetissem forte iis auditis catalepticus, vel cecidissem syncopticus tandemque mihi redditus, orbam omni pace animam poenitens inter fletus et suspiria reddere posse praeoptassem, ni si reuerentiam et Timorem DEI illibatum adhuc sensissem, in utroque cordis Antro. Summo Numinis quod me nondum dereliquit, sint Grates, non adeo culposum me sentio ut videor aliquibus: de Filii DEI sanguine docui in antecedentibus, quod non obstante hac denominatione, nihilominus considerari debeat tanquam humanus, per ipsa Theologorum dogmata; male vero ad utrumque allegatum locum traheretur sanguinis Christi physica consideratio. Ponamus Christum Puerum aliquando sanguinis fluxum e naribus ex- per-

pertum, quem sanissimi Pueri experuntur, sanitati magis conseruandae proficuum, quam morbosum, morbos enim omnes a Christo Homine abfuisse scio. Quis nisi supersticiosus et ad historias et traditiones Romanensium admittendas procluvis, huic effuso sanguini eam vim assignaret, ut eo abluti criminum suorum expertes inde reddi potuissent? ita enim et flagellis Christum caedentes furiosi milites eius sanguine effuso conspersi suis criminibus potuissent liberari. Nonne vero sensus facilis talis est: Passio et Mors Christi Mediatoris nobis impetravit Remissionem peccatorum. Verum cum peccatum non sit res physica sed moralis, quis repugnationem et ablutionem physicam rei moralis statueret? quis subiectum peccati Animam sanguine mundandam et lauandam conciperet? quis conscientiam, internum iudicium nostrum de actionum nostrarum bonitate vel pravitate et mortua opera sanguine purificanda fingeret? Nonne vero si de repugnatione morali saltem sermo est, ea aeque succederet, per sanguinem Christi, siue hic hinc inde effusus ante Mortem computruisset siue minus, nam non saluamur quatenus sanguis effusus est, sed quatenus effusum sanguinem mors fuit secuta, et per eam nostrorum criminum expiatio. Quid officit Christo per spiritum aeter-

D 5 num

num sese DEUM immaculatum et hominem quoad Animam immaculatum Patri suo offerenti, hostium furore maculatum corpus, sanguisque effusus vel corruptibilis vel incorruptibilis. Sed supersunt adhuc alia Scripturae loca quae ego displicens Theologis Monitoribus humanibus et amicis quibus asper esse neutiquam volo, antea summa cum cura considerare debuisse, antequam de sanguine Christi nimis crassos et physicos conceptus publica scriptione euulgarem. Nempe Hebr. IX.12. de Christo dicitur quod *non per sanguinem hircorum ac vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressu sit semel in sancta, aeterna redemptione reperta.* Porro Hebr.XII.22-24. verba habentur: *Accessisti ad montem Sion, ad Civitatem Dei viuentis, ad Hierusalem coelestem, ad innumerabilium Angelorum coetum, ad concionem primogenitorum etc. et ad noui testamenti Conciliatorem Iesum, et ad sanguinem adspersionis meliora loquentem quam loquebatur sanguis Abel.* Quid ego ad haec omnia? Nonne confundar tandem, et erubescam? Sed meminerint illi qui me reprehendunt, me probe agnouisse et introspexisse limites in Consideratione Christi, eiusque Sanguinis, quos Physica et Medicina supergredi audiebat nunquam. Licuit vtrique Christum Hominem contueri nascendum, nascen-

tem

tem, editum in lucem, viuentem in terra ut hominem, atque ita morientem, licuit utriusque ipsum comitari ad sepulchrum. Hic vero fixit pedem, et recessit lugens, vni ut ipsum adscendentem in coelos, ingressumque Ciuitatem DEI sequatur licet Theologiae. Haec explicet ingressum eius in Sancta, vel cum proprio sanguine vel potius per proprium sanguinem; haec explicet notiōnem sanguinis adspersionis, quam ambae illae non capiunt. Plane interim alium hic sibi concipiunt Physici et Medici sanguinem quam naturalem, qui in sui dissolutionem vergat, quique accessu blandi acescentis alimenti indigeat, maxime cum ipsa Biblia omne physicum a Coelo abarceant. Paulus quippe 1 Cor. XV. 50. diserte scripsit: *Hoc autem dico Fratres quod Caro et sanguis regni DEI haereditatem consequi non possunt, neque corruptio incorruptibilitatis haereditatem accipit.* Quando vero nihilominus Praestantissimis Theologis Sententia sedet, licet et non desint recentiori aevo qui alter statuant, Christum sanguinem suum naturalem et animalem, quem effuderat hinc inde homo patiens, dum resurgebat iterum collegisse, adsumisse iterum, secumque omnem in Coelos transtulisse, de qua re Biblia tacent proflus, atque faltem quod pace ipsorum dixerim, Systemata

stemata theologica loquuntur, doceant  
Oro discere auidos Medicos, nil admit-  
tentes nisi id quod in S. Scriptura legit-  
tur, an haec consentiat, quando semina-  
ri corpus Animale et resurrectum cor-  
pus spirituale affirmat 1 Cor. 15, 44. Id  
fane de Christo qui nobis aditum terreno  
homine seposito in Regnum Coelorum  
parans praeiuit, non minus valere debet,  
quam de Corporibus fidelium post resur-  
rectionem die nouissimo eum secuturis  
et coelestem eius imaginem gestaturis.  
1 Cor. XV, 49.

## §. 13.

*Transitus ad Eucharistiam.* His omnibus vero nunc ut decet ex-  
cussis, nullus ambigo, quintuear denuo  
publice meam de S. Eucharistia S. Scriptu-

*Praesentia non naturalis, non sensibilis.* rae omnino conformem sententiam, quam  
libello de Cholera stabilivi. Absit a me  
longissime ut Veram et realem Corpo-

ris et sanguinis Christi Praesentiam oppu-  
gnem, vel negem, quod nunquam mihi  
in mentem venit, nec venturum est. Sal-  
tem licere credidi, ut assererem Corpus  
Christi naturale, carnemque adeo eius mu-  
sculosam qua indutus fuit homo naturalis,  
sanguinemque rubrum quem gesit in vasis  
vi viscerum ex alimentis elaboratum, neu-  
tiquam pani et Vino vel inesse vel adesse.  
Sane qui contrarium statuere amant, pu-  
gnant certe contra omnia testimonia sen-  
uum,

suūm, quae DEUS nullibi ponere iussit, querumque adeo magnam esse Autoritatem ipsissimis Verbis Rambachianis monui, ut contra Romanenses panem et Vinum oculis usurpantes, et tamen post consecrationem renuentibus sensibus, corpus et sanguinem saltem adesse contendentes, ad sensus prouocare in hoc Mysterio liceat. Evidet mihi obiectum noui hoc argumentum a sensibus, saltem quadrare impugnandae Transubstantiationi Romanensium, de re corpore praesente et tot sensibus omnium obuia affirmantium, quod obsit, cum Lutherani adesse vrgeant Corpus Naturale Christi θεανθρωπος, modo inuisibili. Sed amabo si argumentum a sensibus est validum, et iure deductum contra Romanenses, non aegre ferre debemus si aliquis eodem haud detorto, sed vt se habet, vtatur contra illos, qui praesentiam Corporis Christi naturalis vrgent. Namque corpus Christi naturale, sanguisque eius naturalis dum viueret Redemptor, aequa pertinuit ad Corpora physica in genere, ac panis et Vinum ad ea pertinet: igitur si corpora omnia physica sine exceptione sunt res in sensus incurrentes, de omnibus etiam sine exceptione asserere possumus, vel esse praesentia vel absentia si nimirum in sensus incurrant, vel non incurrant. At vero corpus illud Christi  
naturale

naturale quod, dum in terra aderat θε-  
ανθρωπος humanum prorsus palpabile  
erat, et in omnium oculos incurrebat,  
in Eucharistia non incurrit in sensus, ergo  
idem illud corpus naturale quod in terra  
gessit vere non adest; sed panis et Vi-  
num incurrit in sensus ergo panis et Vi-  
num vere adest, etiam si transubstantiatus  
cum Vino panis in carnem et sanguinem  
dicatur, nam eadem ratione ac ante con-  
secrationem, ita et post eam organa sen-  
suum a pane et vino feriuntur. Ut igit-  
tur nil dissimulem, si sensibus in S. Eucha-  
ristia fidem habere nolumus, atque talia  
asserere quae eorum suffragio repugnant,  
aeque peccamus ac Romanenses, ea fal-  
tem differentia quod nos adesse aliquid  
dicamus de quo nullum phoenomen na-  
turale sensibus percipimus, corpus na-  
turale et sanguinem naturalem, illi vero  
abesse aliquid dicant panem et Vinum de  
quo utroque phoenomena sensus aeque  
ac antea sufficientia affirmant, quod vere  
adhuc adsit. Namque quod probe ob-  
seruari volo, iudicii de absentia et praes-  
entia Corporum Naturalium libertas  
aeque relista est sensibus, in utraque  
aeque valet illorum testimonium. Atque  
certe dum adesse dicunt Theologi Cor-  
pus et sanguinem Christi, modo inuisibili,  
eo ipso omne visible excludunt, ergo  
praeter voluntatem et tacite simul afle-  
runt,

runt, corpus Christi naturale non adesse quoniam illud prorsus humanum, erat omnino visibile. Omnes vno ore reiiciunt mandationem et bibitionem capernaiticam, vellem vero ut aliquis eorum mihi explicaret differentiam capernaitici et naturalis, ego certe nullam video, igitur qui abesse vult capernaiticum ab Eucharistia simul quoque abesse cupit naturale.

## §. 14.

Audio vero mihi occini perpetuo: *Verba in-*  
*Perfistendum et acquiescendum esse sim-*  
*plici et deuota fide in verbis Christi Hoc* *stitutionis*  
*est:* neque ratiocationi hic ullum locum *accurate*  
*esse relinquendum.* Sed de libertate *ponderata*  
*relinquend.* *non repu-*  
*tiocinandi etiam in mysteriis fidei, iam* *gnant.*  
*dixi opinor satis in superioribus. Verba*  
*Christi ita pronunciata quod attinet reli-*  
*gio sit Christiano cuiuis mutare in iis pun-*  
*ctulum vel literulam; de sensu autem eo-*  
*rum, deque mente Auctoris ut constet*  
*accurate, licebit puto trahere ad ea regu-*  
*las Hermeneuticas illas, quibus Theologi*  
*utuntur aliis in locis Verba Christi expli-*  
*caturi accuratius. Volunt vero hae re-*  
*gulae omniō, ut sensui verborum pro-*  
*prio tam diu inhaereatur quam diu is*  
*probabilior est improppio, sed vrgent*  
*quoque si contrarium contingat, statim*  
*hunc esse p̄aeferendum. Deinde incul-*  
*cant*

cant Logici, Probabilitatem hermeneuticam explicantes, Talem esse mentem Auctoris, qualem non saltem verba innuere videntur, sed qualem conditio temporum nec non Voluntatis et intellectus Auctoris esse permittunt; probabilitatem igitur hermeneuticam exacte respondere debere antecedentibus, et consequentibus eorumque omnibus circumstantiis. \*) Atque in his omnibus consentiunt Theologii Exegetae, atque ita sese gerunt quando sensum Verborum Christi, Prophetarum, Apostolorum tradere et explanare allaborant. Haec omnia si nunc applicentur ad Verba Christi *Hoc est* statim dari debet, ipsum neutquam dixisse hoc est corpus meum Naturale, huncque mentem nec in intellectu nec voluntate servatoris fuisse, omnia antecedentia et consequentia probant. Docet quippe tempus rei gestae, docent omnes circumstantiae, corpus eius naturale illae sum et integrum fuisse dum haec verba pronunciareret, atque post absolutam institutionem S. Coenae, demum lanienam expertum edi, sanguinemque hinc inde effusum bibi potuisse, mandatione et bibitione naturali. Non ederunt ergo naturale corpus non biberunt naturalem sanguinem eius disci-

\*) Videatur inter numerosos qui forte primus ad manus est Rudiger Philosoph. Sect. I. Part. I. Art. V. c. 5.

discipuli, neque opum habebat Aman-  
tissimus Seruator, vt ipsis denuo suam  
mentem explicaret, namque diu antea  
cum in Synagoga capernaitica de se pane  
coelitus profecto edendo locutus esset at-  
que ipsi murmurantes et offensi hac locu-  
tione, eam duram et impossibilem audi-  
tu habuissent, illis dixerat disertis verbis:  
*Hoc vos offendit? Quid igitur si videritis  
filium hominis adscendentem eo vhi erat  
prius. Spiritus est qui vivificat, caro  
non prodest quicquam. Ioh. VI. 58-63.*  
Sane aut fallor turpissime, aut Christus  
hic summopere prospexit, ne postmo-  
dum instituturus S. Synaxin, capernai-  
tici aliquid, vel quod prorsus idem, na-  
turalis aliquid esuri et bibituri panem et  
Vinum benedictum, sibi fingerent disci-  
puli, neque iam mouebantur amplius,  
aut murmurabant, aut durum sermonem  
habebant *Edite et Bibite. Hoc est!* de  
mente Christi domini iam antea instructi.  
Post Mortem Christi, ad hunc diem us-  
que S. Eucharistia vtentes quod attinet,  
illi quidem multo minus vesci possunt  
carne Christi naturali; scilicet Christi cor-  
pus naturale in mortis articulo adhuc su-  
perstes, in ipso momento mortis; et in  
sepulchrō deinceps tale esse desiit, vt in  
superioribus indicaui. Omnes igitur qui  
de Corpore Christi naturali post eius  
mortem loquuntur, vtuntur inani termi-

E

no,

no, nam ad hunc diem nullum amplius corpus Christi naturale existit, absonum enim iam esset existentiam Corporis Christi naturalis, ad quam olim hoc pertinebat ponere extra Naturam, atque nonenti dare attributa, atque assignare operationes; absonum esset statuere Christum reliquisse corpus naturale suum in terris, praebiturum S. Eucharistiae Materiem. Docent nimurum et euincunt fideli nostrae lutheranae articuli, Christum consedentem ad dextram Patris, et pro nobis intercedentem esse ḥεῖον Θεόν ποντον gaudereque exuto corpore naturali, corpore simpliciori glorificato. Si ergo praefens est Christus Pani coenae quod lubens agnosco, adest ipsi prorsus alio modo quam naturali, aut corpore simpliciori glorificato, quo nunc gaudet. Atque qui hac sententia quam firmus adhuc teneo, peccare potuerim, prorsus non intelligo, cum ipsa formula Concordiae Art. VII. p. 7. in qua sensa animi sui exposuere Confessores nostri, non aliter statuat. Ibidem nempe de modo naturali nil legitur, sed tantum supernaturalis, coelestis, spiritualis incomprehensibilis, sacramentalis, inculcatur, quae vox posterior per se vacua futura, reliquas praegressas inuoluit. Ipse quoque Hutterus Patronus tutelaris meus verbis inde multo petitis *in explicatione libri Christianae*

natæ

*nae concordiae Art. VII. p. 633.* ita men-  
tem suam aperuit , quem eapropter tanto  
maiori fiducia possum allegare , cum eos-  
que Orthodoxus habitus sit a nostratisbus,  
vt Mallei Calvinianorum Elogium ipsi im-  
posuerint. Precor vero iam per DEUM  
immortalem omnes Amatores Veri , vt  
considerent, An modus supernaturalis ex-  
cludat naturalem an non ? an spiritualis  
adesse patiatur , vel abesse iubeat corpo-  
reum ? an minus ? an incomprehensibilis  
ponat et inuoluat id, quod oculis usurpa-  
tur et manibus palpari potest. Sane qui  
haec commiscere et confundere , aut adia-  
phora omnia haec vocabula habere potest,  
ille abundet suo sensu. Mihi sufficit Cl.  
Pfeifferum ipsum quem propter duriorem  
et feruidum cum Reformatis et Romanen-  
sibus Antagonistis agendi modum , prae  
multis aliis allegare pro me possum , vltro  
professum esse , Christum non adesse Eu-  
charistiae Corpore illo visibili quali accum-  
bebat Mensae Hierosolymitanae.\* Habeo  
enim sic omnia quae volo eaque in sequen-  
tibus vberius exequar , si enim illo visibili  
corpore non adest , non adest Corpore  
naturali. Aegre saltem fero, quod et cor-  
pore glorificato quali in Coelis inter Ele-  
ctos versatur , ipsum haud adesse statuat,  
sed alio tertio supernaturali , namque inde

E 2 dolens

\* Im Evangelischen Augapsel Art, X, Hemil. I,  
pag. 547.

dolens animaduerto, quod aliter iam perspicerem, Nostrates Theologos Sapientissimos coeteroquin, in hoc argumento inter se non exacte conuenire. Sed haeci in non ad me, qui solam praesentiam corporis Christi naturalem nego, nullam aliam.

## §. 15.

*Nulla praesentia corporis extensis et divisibilis.* Poteram dum haec omnia ita mihi comparata habentur, ut impugnari iure prorsus nequeant, iam securus de bonitate et restitutione mearum adserionum acquiescere; sed iuuat Veritatem contueri diuersimode, cum a tergo et antrorsum, et ex omnibus visionis punctis considerata, semper maneat simplex Veritas. Age igitur vterius dispiciamus! Solerter et curatius attendatur velim ad sequentia. Corpus humanum naturale, ipsiusque corpus humanum Seruatoris ut omnia corpora naturalia potest et debet considerari tanquam ens extensum; sine hac idea, nulla idea corporis Naturalis, extensum vero spatium inuoluit limitibus suis circumscriptum. An autem haec talia quadrarent ad corpus Christi quo potiuntur communicantes? Nullum corpus naturale potest circumscribi terminis alicuius spati, atque simul implere spatium aliud, vel esse in loco alio. An vero in loco quodam quem occuparet Corpus Christi naturale concipi potest, tanquam alium locum simul

simul non occupans? Lutherus certe ipse toties damnauit eos qui loco inclusum fingunt corpus Christi, adeoque eo ipso fas-sus est corpus Christi naturale non adesse in Eucharistia, nam in loco esse est affectio ab omnibus corporibus naturalibus inse-parabilis. Quis vero Christum θεαυθωπον non vellet considerare tanquam ens infinitum, et omnipraesens, an autem infinitas et omni praesentiā tribui possunt corpori naturali? Sed procedamus ulte-rius! Corpus omne naturale sifit aliquod totum, et est diuisibile in partes, suaque ex quibus coaluit elementa, atque tale corpus gesit Saluator ambulans in terra, totum vero non distribui potest inter plu-res, nisi diuidatur in partes. Iam con-cipiatur corpus Christi naturale diuisum in minutissimas fibrillulas, sanguis diui-fus in minutissimas guttulas, concipiatur numerus pene innumerabilis hominum qui ab institutionis S. Coenae tempore ad nostrum aeuum Eucharistia vni sunt, an suffecit corpus naturale cibandis tot My-riadibus Mortalium: Sed detur diuisibili-tas in infinitum, an asseret Theologus aliquis sapiens, quemlibet communican-tium capere partem corporis et sanguini-nis? Damnat Lutherus sententiam eo-rum qui contendunt corpus Christi posse esse in pluribus locis simul, nonne ergo condemnat diuisibilitatem eius, sed diui-

sibilitas est proprietas effentialis omnium corporum naturalium, nonne ergo Lutherus ipse vi huius asserti remouet praesentiam naturalem et corpoream ab Eucharistia. Iungatur adhuc huic considerationi diuisibilitatis inseparabilis Vnio diuinitatis et humanitatis Christi, ita ut nullius harum existentia concipi debeat sine altera, id quod adeo diligenter inculcant nostrates Theologi, An diuinitas patitur ideam diuisibilitatis? An surgere potest absnona cogitatio de comeditione et bibitione Naturali Deitatis? Nonne ita non sciungendum ab homine DEUM faceremus Materialem? Nonne certo respectu deum immisceremus Naturae, qui extra eam exsilit atque nil tale cogitantes declinaremus ad horridos errores quos in famoso Spinozae systemate tantopere detestamur. Irascuntur forsitan mihi Cordati Theologi dum haec legunt, sed veniam mihi illi dent **Oro** et **Obtestor**, quia coactus talia edissero, ut monstrem miserrima consequentia, ex assertione praesentiae Naturalis Christi in S. Coena sua sponte quasi emergentia. Quomodounque haec mea excipientur, qualemcunque reprehensionem promereri videar **ex** sententia illorum, qui omnem rationem abesse volunt a Rebus fidei, id saltem certissimum est me nullarum aberrationum a fide nostra insimulari posse, nisi earum simul

simul insimuletur Formula concordiae cum ipso Huttero. Namque si verba sumere licet, cum annexa iis per communem Eruditorum hominum consensum propria semperque sibi constante idea, contrariam ideam excludente, nil aliud doceo quam quod iam docuit Lutherus, formula Concordiae, et meus Hutterus, saltemque terminos quibus vni sunt ut Theologi, seruato eorum valore explicò Physicus et Medicus, iustumque iis significatum vindico, et conceptus quos ipsi termini exclusos volunt, distinctius excludo. Operae pretium est ut hoc fusius demonstrem quam clarissime.

## §. 16.

Afferunt cum formula Concordiae *Præsentia*  
*Theologi nostrates, modum quo corpus*  
*Christi adest S. Coenæ esse απεργοάπτον.*  
*Iam id solum se comprehendit et describi*  
*non patitur, quod non incurrit in sensu,*  
*nam de illo nulla nascitur notio, cum e*  
*contra omne id quod sensus ferit, secun-*  
*dum mutationes quas parit in Organo*  
*sensus, et secundum ideas inde ortas, ita*  
*fese describi patiatur, ut similes idéae na-*  
*scantur audientibus et legentibus. Quan-*  
*do igitur corpus illud Christi incompre-*  
*hensibile quod præsens est in S. Coena*  
*non valet describi, non incurrit in sensu,*  
*si vero non incurrit in sensu, non est*

E 4 cor-

corpus naturale. Non erro! addit vide-  
licet formula Concordiae corpus Christi  
adesse ὑπερφυσικῶς seu praesentia super-  
naturali idque loquuntur omnes Theologi  
Aug. Conf. addicti, nonne autem, nisi  
naturale et supernaturale habeantur pro  
uno eodemque, quod valde absurdum  
foret, supernaturalis praesentia excludit  
naturalem, adeoque omnes conceptus  
physicos de corpore et sanguine Christi.  
An tolerabilis est adsertio quam lego in  
diff. quadam Halensi sub summi alicuius  
Viri praesidio habita, contra Beniamini-  
nem Hoadly Episcopum Anglum, *Cor-  
pus Christi naturale omnino adesse in S.  
Coena, sed non naturaliter?* an enim  
idem potest simul esse et non esse? an  
ignis datur non igneus, lapis non lapi-  
deus, lignum non ligneum? an alia ha-  
bentur corpora naturalia non naturalia?  
an fingi potest Natura legum suarum ex-  
lex? an fingi possunt corpora Naturalia  
his legibus subiecta et tamen simul extra  
et supra naturam eiuscta? an in intellectu  
diuino absolutissimo existunt et existere  
possunt contradictoria, quibus intellectus  
humanus vel mediocris offenditur? An  
forte licebit afferere praesentiam natura-  
lem et supernaturalem simultaneam? pri-  
mam ratione Corporis Christi quo homo  
est, alteram ratione diuinitatis ab huma-  
nitate inseparabilis? sed hoc dictu abso-  
num.

num. Si nempe naturale praefens est Corpus Christi, debet se prodere per phoenomena, quibus omnia Corpora naturalia suam praesentiam produnt, si supernaturalis praefens est diuinitas, iam sibi iunctum habere nequit corpus naturale. Nonne enim hac ratione Christum e statu suo exaltationis ad Altaria nostra detraheremus ad statum pristinum exinationis? durante hoc enim aderat in terris naturalis homo, et supernaturalis DEUS, absolo eo cessauit naturalis humanitas. Melius igitur omnino et Veritati conuenientius asseram ego S. Coenae adesse Christum et supernaturalem Deum et supernaturem hominem qualis nunc est et mansurus est in Æternum, in Regno Glorie.

## §. 17.

Atque huic asserto calculo suo iterum *Præsentia*  
*Corporis*  
*cuius nostrum*  
*olim erit*  
*σώμαρφον.*

fauet cum Huttero formula Concordiae, quando Corpus Christi praefens in S. Coena tale esse dicit, quale expectamus nos in Resurrectione ipsi σώμαρφον. Sed resurrectio fiet fracto Orbe corruenteque in semet Vniuersa Natura, existentia ergo corporum nostrorum Christi corpori σώμαρφον inchoabit demum finita et cessante existentia Naturae; nunc si tali Corpore adest Christus S. Coenae quale nos habebimus cessante Natura, id non potest esse naturale, ergo necessario est supernatu-

E 5 rale,

rale, id est a nostro Naturali illoque etiam quod ante mortem gerebat Seruator penitus distinctum, igitur simplex et glorificatum. Atque id ipsum illustrat et confirmat S. Scriptura, nam secundum eam *Caro et sanguis regni DEI haereditatem consequi non possunt, neque corruptio incorruptibilitatis hereditatemi acciperet* i Cor. XV, 50. ea propter talis erit Resurrectio Mortuorum. *Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate, seminatur Corpus animale resurgit corpus spirituale* I. c. XV. 42. 44. En Corpus naturale animale moriens, a spirituali resuscitando euidenter distinctum! Neque offendit debemus appellatione Corporis spiritualis, quasi id inuolueret contradictionem, namque corpus resuscitandum non mutabitur in spiritum, sed recessu suo a crasso corporeo composito, et simpliciore sua indole, magis saltem accedet ad simplicitatem spiritus. Atque tali spirituali corpore, posito suo naturali, induentur adeo non mortui, sed superstites etiam die nouissima futuri, viuentesque eidem ingruenti obuiam ituri. Namque *non omnes dormiemus, omnes tamen immutabimur, per extremam tubam mortui resurgent incorruptibles, et nos mutabimur.* Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, et mortale hoc induere immortalitatem, tunc mors ab-

*absorpta erit in Victoriam.* 1 Cor. XV. 51.  
 §2. §3. 54. Profsus autem ejusmodi, spirituali, immortali, glorificatoque atque nequaquam naturali et animali corpore omnino quoque praeditum esse resuscitatum a mortuis et sedentem ad dextram Patris Seruatorem et Mediatorem nostrum Amantissimum Iesum Christum, dubitauerit nemo quia ex Coelis eius aduentum expectantium nostra Corpora humilia transfigurabit ut conformia reddantur Corpori suo glorioso. Philipp. III, 20. 21. Ex horum omnium consideratione si non appareat luculentissime Corporis Naturalis Christi in S. Coena absentia, quo olim faltem nobis similis erat, quodque iam non habet amplius nescio unde euidentior demonstratio peti debeat, cur enim ad exemplar eius transformaremur resuscitati aut mutaremur superstites die extrema, si similis adhuc esset suo Corpore in Coelis Christus Seruator, corpori nostro naturali. Cur Corpus Glorie in Vita aeterna contradistinguetur Corpori Animali vitae mortalisi. \*)

§. 18.

- Difficile omnino et impossibile est, exacte determinare differentiam inter Corpus naturale moriens, et Corpus ad Gloriam resurrectum; quam tamen admittere per effata biblica debent Theologi omnes. Sane quam diu vivimus, quicquid ab iis dicatur de elementis essentialibus nostro corpori a prima sua existentia, usque ad mortem immutabiliter inherenteribus, ex quibus potis-

*Cibus et  
Potus spi-  
ritualis.*

§. 18.

His omnibus ad ipsam mentem For-  
mulae Concordiae, Theologorum omnium  
Ortho-

simum resurrectionem Corporis explicitant,  
vt alibi, ita in toto Volumine der Canzel-  
Reden, in quo a variis Magnis Viris pos-  
sibilitas et Veritas Resurrectionis ex ratione  
et reuelatione docetur, satis tamen certum  
est nos perpetuo mutari. Immutata equi-  
dem nobis semper manet individualis for-  
ma nostri Corporis, sed semper aufertur  
vi circuli et affertur per chylum in sanguini-  
nem versum adeoque mutatur singulis mo-  
mentis materia, licet ablata et allata ele-  
menta sua indeo sibi sint prorsus similia.  
Quando ad partes simpliciores omnium cor-  
porum naturalium ex quibus componuntur,  
quousque per Physicam et Chemiam licet,  
adscendimus, sibi similis ubique deprehen-  
ditur simplicitas, saltem modus coalescendi  
et conformatioonis differentia diuersitatem  
facit corporum, vt puncta mathematica sibi  
similia, faciunt diuersas figurae geometricas.  
Examine physico-chemico cautus subiice  
sanguinem hominum, boum, ouium, cap-  
rarum, aliorumque animalium; cutem hu-  
manam, villos suum, ossa cerui, vngulam  
equi, paucis dicam partes quasuis quorum-  
uis Animalium, habebis partes constituen-  
tes simpliciores prorsus easdem, prorsus sibi  
similes, saltem diuersa proportione mixtas.  
Imo vero ex uno Naturae Regno ad aliud  
transit haecce homogeneitas et assimilatio.  
Scripsit Boerhaauius in Chemia Tom. II. in  
Proleg. Operationum in Animalia *Totus bos*  
*prius gramen, foenum et aqua fuit. Animal*  
*fuit ex materie quae non est id Animal, sed quae*

Orthodoxorum, simulque Magni Hutteri liquido expositis qui iam iunxerit considera-

per vires illius Animalis mutabitur in illud Animal. Anne totus homo antea fuit caro bouina, veruecina, panis, lac, vel quodvis aliud alimentum quod ante generationem assumserant parentes. Non creat postquam a Cratione quietuit DEUS homines, dedit vero ipsis potentiam ex se procreandi alios, siue verum est a Mare suppeditari integrum hominem in Vtero materno euolumentum, et nutriendum; si morbo diuturno aut inedia diurna sperma omne potest exhaustiri, ita ut absumpto humorum penus resorptum cum eo pereat omne, vacuaeque inueniantur semifinales vesiculae; si sola carne bubula, pane, lacte, iterum potest restituiri sperma prolificum, facile probatur, aut vi viscerum inde posse elaborari humorum qui sifstat hominem, aut in carne bubula, lacte, pane praecoxistentia latuisse semina hominum in rerum principio creata. Si haec nimis subtilia habeantur, utpote sensibus non subiicienda, rigide interim satis demonstrata, foetum consideremus duarum vel trium hebdomadum, vix formicæ magnitudinem aequantem, et instar tenuis muci diffluentem; vel adhuc teneriorem, nam talis adeo qui minor sit granulo fabuli concipere licet. Sane cum foetus talis ultra imaginationem exiguis nihilominus sit verus homo, licet nondum sit euolitus, iam debet omnino habere essentialia sua elementa, per hypothesin propria. Quæso autem quam paucula illa erunt, quam parum respondebunt resuscitationi olim expectandæ illius hominis qui adultus, qui adiposus, et

federationes alias, phrasibus de S. Coena  
in S. Bibliis obuiis, locutionibus Theo-  
logorum

laceratosus mortuus est. Sed alia elementa  
propria non possunt admitti, namque quam-  
diu in Vtero manet talis foetus, increvens  
fensim, omnia reliqua elementa quae mo-  
lem eius augent peregrina sunt, quia cum  
sanguine materno ipsi afferuntur; sanguis  
autem maternus perpetuo accessu noui chyli  
ex regno animali et vegetabili innouatur,  
et quando in lucem homo editus est, lacti  
peregrino alimentisque aliis peregrinis to-  
tam debet incrementi sui materiem. Dum  
vero ita crescit, aut deinde perficit apicem  
incrementi adeptus homo, in corpore eius  
quamdiu vita adest nulla quies; in nulla fi-  
brillula in nulla humorum guttula ullum  
datur elementum stabile. Perenni quippe  
motu a solidis ultimis tenerioribus, (ex  
quibus omnia solida firmiora ad ossa usque  
effinguntur) deteruntur elementa, miscen-  
tur fluidis, cumque his per excretiones  
sensibiles et insensibiles dissipantur conti-  
nuo, nosque chyli in viscerum in sanguinem  
mutati accessu restituunt fluidis, appo-  
nuntur solidis, ut hac ratione perduret per-  
tempus suum stabilitum tota Machina.  
Nulla ergo elementa ab ipso sui primordio,  
dum viuit, perpetuo propria habet homo,  
sed illa demum ipsi sunt propria, quae ha-  
bet corpus suum, quando circulus definit,  
nam tunc cessat nutritio adeoque dissipatio  
praefentium et appositioum nouorum.  
Sed elementa omnia mortuo propria, ita  
sunt comparata, ut per nullam causam phy-  
sicam nec aqua nec igne annihilari queant,  
quod demonstrare potest Chymicus et Me-

logorum e suggestu verba ad populum fa-  
cientibus, receptis formulis precum Com-  
muni

dicus, nec ab ~~ανθρωποφαγοις~~ in suam substan-  
tiam conuerti, nam et his non manent pro-  
pria sed perduntur ipsis iterum, et ex eorum  
corpoce exeunt. Hoc vero corpus mortuum,  
haec elementa eius puluerulenta ipsi pro-  
pria, et immutabilia per vires Naturae, cu-  
stodiet manus Domini; in his latitans se-  
men pono, ex quo resuscitatum prodibit  
suum cuique corpus individuale. Qui hanc  
rem non capare volunt et repugnant omni-  
bus acclamo securus de Veritate et possibili-  
tate, cum S. Scriptura 1 Cor. XV. 36.  
*Stulte tu quod seminas non vivificatur, nisi  
mortuum fuerit, conuictusque credo, si po-  
nam, neminem vnuquam vidisse ex grano  
tritici seminato prodeunte culmum, omni-  
bus aeque impossibile id videri potuisse,  
quam resurrectionem mortuorum, quae ni-  
mis veram sese aliquando praestitura est.*  
At si nunc quis quaerat cum Scriptura 1 Cor.  
XV. 35. *Quali corpore venient resurgentे  
mortui? responsum audiat ibidem suppedita-  
tum. Quod seminas non est corpus, quod  
inde fiet, sed nudum granum e. g. tritici aut  
alicuius ex coeteris. Sed DEUS illi dat cor-  
pus ut voluit et uniuicique seminum suum cor-  
pus. Sic et resurrectio Mortuorum. Semina-  
tur in corruptione, resurgit in incorruptibili-  
tate. Seminatur in ignominia, resurgit in  
gloria, seminatur in infirmitate resurgit in  
potentia, seminatur corpus animale, resurgit  
corpus spirituale. Est corpus animale, et est  
corpus spirituale. 1 Cor. XV. 27. 38. 42. 43. 44.*  
Sane nisi omnia me fallunt ex hac descrip-  
tione dilucide innotescit, magnam fore et

municantibus seruientium, cantilenisque  
sub ipsa administratione S. Coenae in tem-  
plis

cerne e diametro quasi sibi oppositam dif-  
ferentiam inter corpus demortuum, et resu-  
scitatum, quamvis per eundem descriptio-  
nem huius nondum capiamus Naturam, et  
indolem. Interim si haec ipse antitheses,  
quas ipsa Scriptura suppeditat, non obiter  
habeantur, vt obiter haberri nequeunt, nul-  
lam similitudinem essentiale fore, inter  
vtraque Corpora, quilibet credo concedere  
tenetur, etiam si vt hic locus, ita alia Scri-  
pturae clare eloquantur, suum individuale  
vnicuique enasciturum corpus, ab aliis om-  
nibus segregandum, quemadmodum *Iob.*  
*XIX. 25. 26. 27.* Omnia haec dum S. Scri-  
ptura diserte nos docet, nemo me impie-  
tatis arguet iure, quando et reuelationis  
quam praemitto, et fanae rationis ducu in-  
cedens sequentia inde coniicio. Corpus  
nostrum pertinet ad hoc vniuersum, Omnia  
corpora huius vniuersi, vt id totum constet,  
habent in se certam quandam actionem et  
reactionem, certam relationem et correla-  
tionem. Nemo iam negauerit, nostrum  
corpus, eiusque vitam habere suam relatio-  
nem ad aerem atmosphaericum, atque ita  
vt in hoc ea durare posset, construendum  
erat, cum strueretur creato iam aëre. De-  
bebat quippe sequi Ordinem in Naturam  
factum, quem praemeditatus erat totum  
Vniuersum creaturus DEUS. Eum in fi-  
nem dabatur homini pulmo, immisioni et  
emissioni aëris seruens vnicet, eaque ratio-  
ne vitae conseruationem iuuans. Nunc au-  
tem cessaturo olim toto Vniuerso, cessabit  
et aër atmosphaericus, licet igitur Mundi

plis nostris familiaribus, considerationes in-  
quam his omnibus apprime conformes, si  
fana

futuri vitaeque aeternae nobis nulla surgere  
possit sufficiens notio, tamen aut ærem at-  
mosphaericum in ea statuere debemus, quod  
fere absonum, aut concedere pulmonem in  
ea cessaturum, aut pulmonem alii fini in-  
feruiturum, quod neutiquam probabile,  
cum structura eius vesiculoso-vasculosa co-  
gnita cum appensis bronchiis et trachea appri-  
me inferuire obseruetur reciproco ingressui  
et egressui æris atque ad nullum alium usum  
fabrefacta conspiciatur. Haec de Pulmone.  
Sed ut animi mei sententia vberius pateat  
Cogitemus adhuc alia. Dicit Scriptura Re-  
gnum DEI non est cibus et potus. Rom. XIV. 17.  
docentque Theologi accubitum in mensa  
cum Christo Luc. XXII. 30. vel cum Abra-  
hamo Isaaco et Iacobo Matth. VIII. 11. et  
reliquas a terrenis deliciis translatas dictio-  
nes non notare nisi suauissimam Societatem  
cum iisdem; demumque quoties Christus  
Regnum Coelorum comparat Coniuuiis, to-  
ties ipsum res spirituales indigitasse per pa-  
rabolas, Omnes Theologi vnanimi consensu  
fatentur. Edimus vero et bibimus hic in  
terra, vt habeamus sanguinem et ex eius fonte  
humores reliquos omnes, sanguis cum humo-  
ribus nascitur ex chylo, qui paratur in cu-  
lina corporis nostri abdominali, Ventriculi,  
intestinorum, pancreatis, hepatis, beneficio.  
Si ergo in altera vita nec edemus nec bibe-  
mus, cuinam usui destinarentur haec viscera  
amplius, poterunt ergo abesse prorsus, cum  
enim DEUS et Natura in hac vita nil fece-  
rint frustra, vix statuendum erit frustra nos  
habituros ventriculos et intestina in altera.

F

sana ratione ducatur, statim abiicere debet omne physicum meditationi supernaturalis humius

Nulla vero ingestionē alimentorum per effatum biblicum admittenda, visceribusque digestionis officinis frustraneis futuris aut abfuturis potius, nullus chylus, si vero nullus chylus nullus etiam sanguis. At amabo! nullus sanguis! si non nouiter elaboratus, forsan ille cum quo sumus mortui. Sed *sanguis et caro haereditatem regni Dei, consuequi non possunt.* 1 Cor. XV. 50. vitaque corporis humani mortalis animalis est in eius sanguine, omnisque caro viciit in sanguine Leuit. XVII. 11. 14. An ergo vita aeterna immortalis et spiritualis, animali mortali contradistincta, etiam in sanguine, qui tamen non admittitur in Regnum DEI? quis ita statueret! Verum ponatur per me licet sanguis, cum corde etiam, in Vita beata; cor non potest ponī nisi ponatur pulmo, cuius usus in eadem vix videtur admittendus, sanguis si ponatur ponendi sunt renes et vesica, cum suis functionibus, qualia vero consecutaria inde fluunt! Taceo memor colloquiorum de hoc arguento quae habui saepius, cum Medico Amicissimo mihi, Elegansissimoque, sed eheu cum omnī sua doctrina effusissimo cruxis in quo vita eius erat, effluxu, tot bonis erepto, taceo inquam, partes quas admittere non licet in beatorum coetibus, per verba Luc. XX 34. 35. *Filiū huius Seculi ducunt uxores, et nuptum dant illi vero qui digni habebuntur seculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque ducunt uxores, neque nuptum dant, redeoque potius ad viscera illa, de quibus antea locatus sum.* Sane quicunque vanum viscus ex nominatis ponere vult sine altero, is non intelligit corporis nostri Oeconomiam, seu Ordinem Microcosmi in quo

ius epuli intentus. Habemus volente et vr-  
gente sanissima Theologia Lutherana, S. Eu-  
charistiam pro cibo et potu spirituali, loqui-  
mur cum ea de fame et siti animae, de Christo  
in nobis post usum eius victuro et mansuro  
Ioh. VI, 56. Galat. II, 20. de nutrimento spiri-  
tuali Ies. LV, 2. de praegustu vitae aeternae Ps.  
XXXIV, 9. Applicentur haec oro et obtestor,  
sine vlo praeiudicio ad Corpus Christi natu-  
rale, quod gessit in terra, ad sanguinem natura-  
lem quem effudit Patiens; namque aut ulla

## F 2

## sur-

vna pars famulatur alteri, et existit ob alte-  
ram, vt in Macrocosmo. Sed praefat hic  
subsistere, cum forte aliquibus Theologis  
Lectoribus iam potuerim displicuisse, Medi-  
cos interim collegas meas quod me solatur  
facile in omnibus consentientes habiturus.  
Illi vero antequam infonti mihi irascantur,  
perpendant obsecro, manductionem cibo-  
rum, deglutitionem, digestionem eorundem,  
elaborationem chymi, chyli, sanguinis et re-  
liquas coctiones vt vocantur Medicis, confi-  
cere uno complexu hominis Animalitatem.  
Cum ergo Scriptura non dicat feminatur  
corpus animale et resurgit animale, sed ani-  
mali opponat resurrecturum spirituale, cogi-  
tent serio an in corpore spirituali collocare li-  
ceat animalitatem, et tamen spirituale animali,  
cum scriptura contra distingue. Aliud ergo  
corpus resurrecturum quam quod mortuum  
est licet individuale, concludo et affirmo nam  
semen quod feminatur non est corpus quod inde si-  
et. i Cor. X, 37. illique qui digni habebuntur re-  
surrectione ex mortuis, non possunt amplius mori  
(i. e. non habebunt corpus ex sua natura mor-  
tale) aequales erunt angelis, sunt enim filii Dei  
et filii resurrectionis (non filii terrae) Luc. XX.

surgere debet intellectui, dum ita cum Biblis et Theologis loquimur, dumque S. Eucharistia utimur, sobria cogitatio, aut nil cogitantes vel et cogitare prohibita parum solatii habebimus repentes humi, animales, esurientes tamen, et sitiens animae. Quaero cordatus, nonne corpus naturale saltem praerberet nutrimentum naturale corpori? An naturale corpus, ceu nutrimentum materiale aptum satis nutrimentum pro fame et siti morali gratiam diuinam appetentis Animae immateria lis?

35. 36. Seruator quippe quando expectatus aderit *per secum patitur* transfigurabit nostra corpora Phil. III. 21. non ergo reddet illis formam omnem et substantiam pristinam, non ergo eruat prorsus eadem, quae sepeliebantur. Non utor hic libera et petulanti ratiocinatione, sed sequor S. Biblia, quando physicum nostrum Corpus, ut nunc est Coelos ingressum nego. Noui Christum Iudicem sic venturum, quemadmodum visus est ascendens in coelum Act. I. 11. sed in sepulchro iam posuerat hominem naturalem, cum statu exinanitionis, neque tum *in nubibus Coeli* Matth. XXVI. 64. *se fuisse in throno Maiestatis suae* Matth. XXV. 31. amplius habebit id corpus quod poterat mori, videndusque illis qui compunixerunt eum Apoc. I. 7. corpore suo simplici et gloriose si exhibuerit signa vulnerum suorum et vestigia, non exhibebit vera vulnera physica. Neque exaltata humanitate indutus, adhuc tamen frater noster, intus geret humili animalitatis corporeae viscera, quamuis suam ante ascensionem nondum consummato statu suo gloriose ederit de pisco affo et fauo apiaro, ut veram sui praesentiam probaret dubitantibus discipulis.

lis? quam materialem si finges corruit omnis Theologia. An immateriale et spirituale cibum et potum excludit idea corporis et sanguinis naturalis? An Christus homo et DEUS immaterialis visiturus et mansurus in nobis ingreditur Oeconomiam corporis nostri animalem? an potius desideriis et languoribus Animae nostrae expeditus ipsi intime unitur? An naturalis fapor carnis et sanguinis naturalis, quem ne quidem percipimus, praegustum largitur Vitae aeternae ad quam admissi nec naturaliter esuriemus nec sitiemus Apocal. VII, 16. Dixit Christus *Ego sum Panis vitae qui de Cœlo venit* Ioh. VI, 51. minime vero hic loquitur de vita nostri Corporis naturali. Distribuentes panem et vinum Ministri Verbi diuini, alloquentesque utrumque accipientes, votum addunt, ut cibus hic et potus eos corroboret et conseruet ad vitam aeternam, porrigentesque panem et calicem illum anhelantibus agonizantibus, quibus nulla amplius spes huius vitae supereft, eadem phrasl vtuntur. Dum ergo de vita aeterna res agitur, quam corpus naturale non ingreditur, omnis naturalis cibus et potus, omnis naturalis analepsis quam solam a corpore naturali expectare licet, omnino cessat. Eheu autem quam tanto Negotio indigna ex admisso corpore et sanguine naturali pro cibo et potu, emergunt consectaria! Omnis quippe cibus et potus naturalis digestus per vim viscerum Corporis humani, conuertitur ad tempus in ipsius substantiam, si ergo capiam veram fibrosam carnem, si bibam verum sanguinem materialem

F 3

Chri-

Christi, aut Christi substantia corporea et sanguinea conuertitur in meum corpus, in meum sanguinem, aut Christus sustulit per S. Eucharistiam omnem ordinem, omnem actionem corporum naturalium in semet inuicem. Vtrumque afferere nefas, et piaculum, taceo plura consecaria necessario emergentia, quae vel cogitare contremisco. Fluunt vero interim ex frustaneo illo corporis naturalis, naturalisque cibi conceptu, illae Vulgi praeconceptae opiniones, de ieunii aliqua ante vsum et post vsum S. Coenae necessitate, deque necessaria ab alimentis huius vel illius generis abstinentia, quam pia simplicitas et imprudens deuotio ipsis iniungit, quasi corporeae Seruatoris praesentiae in ipso Ventriculo nutrimentum corporeum aduersaretur. Non nescio talia cogitare de S. Eucharistia homines simpliciores et in angustas meditationes natura damnati, sed ohe! quantus horum numerus! Sublimiora omnino Animo tenent magis Rationales et Literati, atque hi vrgent maxime, Oeconomiam Vet. Testamenti plenam fuisse vmbbris et typis Antitypum Christum venturum indicantibus, cuius adeo aduentus ipsum corpus eius exhibuerit fidelibus suis, igitur necessario corporei quid et naturalis admittendum esse in Eucharistia. At respondeo ego paticis: In Nouo Testamento apparuit Christus, quem tempore Antiqui foederis sperauerant et expectauerant pii omnes, et praedixerant Prophetae, et quidem corpore carnosu, sanguineo, palpabili, visibili id satis certum. Verum exinde nulla sequitur

quitur praesentia naturalis eius iam exaltati et in Coelis gloriōsi in S. Coena. Constat satis Oeconomiam noui testamenti non esse corporream sed spiritualem, licet tota fundetur in adventi Christi in carnem, et praestito per eundem mortemque in cruce, augustissimo opere Redemptionis. Nihil ergo ex his considerationibus ponderosi accedit iis qui Physicam immisscent praeter rem fidei mysteriis.\* §. 19.

\* Non ignoratur mihi apud Ioh. cap. VI. toto fere, multa loqui Christum de mandatione carnis suae et bibitione sanguinis sui, quae naturale quid indigitare videri poterant. v. 52-56. Sed accuratissime hic attendendum ad praecedentes et subsequentes eius locutiones. In capitib; huius praegressis versiculis quod in variis editionibus Bibliorum inscribitur *Sermo Christi, de spirituali fruitione carnis eius et sanguinis* e.g. in Lüneburgensi 1683. cui praeformatus est Magnus Theologus Abrahamus Calouius, in illis versiculis inquam, haec Verba habentur. *Pater meus dat vobis panem de coelo verum. v. 32. panis enim Dei est qui de coelo descendit et dat vitam Mundi v. 33. Dixit autem eis Iesus, Ego sum panis ille vitae, qui venit a me non esuriat, et qui credit in me non sitiet unquam 35. ego sum panis ille vitae 48. hic est panis ille de coelo descendens, ut ex ipso edat aliquis et non moriatur 50. ego sum panis viuus qui de coelo descendit, si quis ederit ex hoc pane vivet in aeternum, et panis quem ego dabo caro mea est quanego dabo pro Mundi Vita 51. Iam panem viuum de coelo descendantem, non panem in terra panem factum cogitantes, an cogitare possumus corpus Christi naturale? quod si descenderit de coelo, in coelo ita praexistere debuit antequam ingredieretur terram, antequam in Vtero Mariae naturam*

## §. 19.

*Praefentia  
Rei coele-  
stis.*

Illam vero ab iis abesse debere omnem, ipsi vel hoc solo profitentur omnes Theologi nostriates, vnanimi sua sententia, dum utrumque sacramentum complecti elementum externum

ter-

humanam indueret. Anne locutio qui ederit de hoc pane non moriturus est anne ut mortem naturalem, ita et esum naturalem excludit? Evidem sequuntur tunc verba qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum habet vitam aeternam v. 54. caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus, 55. non expungenda certe, et fatear ingenui si sola haberentur, sine praemissis modo allegatis, et subsequentibus, aegre aliter quam de naturali comeditione et bibitione intelligibilia. At sensu iusto Christus prospexit ipse, nam in sequentibus ita loquitur. *Hic est panis ille qui de Caelo descendit* (denuo igitur de pane coelesti et comeditione spirituali loquitur) *non sicut comedederunt Patres vestri Manna et mortui sunt* (naturaliter comedentes, naturaliter mortui) qui ederit hunc panem (alio omnino modo quam naturali) viuet in aeternum v. 58. Porro murmurantibus de hoc sermone discipulis quem habebat in Synagoga Capernaistica respondebat *Spiritus est qui vivificat, caro nil proficit quicquam v. 63.* An de solo vsu carnis Christi sine fide haec valent? an naturalem potius carnis esum hic tollit Seruator? vt omnia simul contemplatus debet credere. Dispiciant Theologi! Dum capernaiticam manducationem ille explodit, tollit quoque naturalem nam eadem idea ex utraque nascitur, nilque inter utramque differentiae intercedit. Si effatum AUGUSTINI *Crede et manducasti non repugnat Scripturae, manducatio naturalis quae ore naturali fit, eo valde infringitur.*

terrestre, et rem coelestem asseuerant. Sane ut in Baptismo, cum elemento aquae praefens res coelestis, Spiritus Sanctus et tota S. S. Trinitas, quamvis ille homo fuerit nunquam, male conciperetur physica; ita in Eucharistia Christum cum Patre et Spiritu S. Deum, vtut simul hominem glorificatum, minime concipi posse naturaliter praesentem, quiuis credo attentus debet condere. Coelum illud in quo existit nunc cum Patre Seruator noster non creatum est, non naturale, ipseque moriens resurgens adscendens in illud, naturales antea posuit corporis exuicias. Res coelestis in Eucharistia Christus, et res naturalis sibi inuicem contradicunt, non possunt designare rem vnam eandemque, una tollit alteram. Si ergo Christus adest corpore coelesti satis patet corpus naturale nullum adeste. Si coelestium rerum nimis humilibus praefigurationibus non peccauerit hebes Vulgus, si iis de salute sua haud periclitetur, valde tamen peccare credo acutiori intelligentia praeditos, si diuino cultui sacras non fecerint dotes animi, quibus DEI largitoris peculiari beneficio instruisti sunt, quibus humanarum scientiarum interiora indagant, quibus abditos terrae abyssus perceptant, quibus ad conditi Orbis creatorumque Coelorum terminos euagantur, quibus metiri corporum inter creatu longe maximi, solis, magnitudinem moliuntur; quibus stellas erraticas suas orbitas decurrentes concomitantur.

§. 20.

Vna supereft consideratio, quam omittere ne queo. Ad potiores fructus ex Vfu S. Coenae

F 5

*Fructus  
Euchari-  
stiae non  
physici.*

edundantes in Communicantes, referendar sine dubio Remissio Peccatorum, per mortem Iesu Christi nobis parata. Peccata nostra DEUM et nos a se in huic sciungere inculcant Sacrae, litterae, sed imputatio peccati saltem respicit animam, namque peccatum supponit legem, intellectum legis, liberrimamque vel seruandae vel negligendae legis voluntatem; Machina igitur non peccat, in machinam ergo non cadit poena, nisi quatenus fuit instrumentum peccati. Anima autem cui concreatus est intellectus, cui concreata libera voluntas, maxime rea est commissi peccati. Quod si igitur peccata nostra expiat Mors Christi eiusque meritum, meritum hoc vindicandum est soli Animae, corpus quippe nostrum in hac vita nil inde emolumenti acquirit, dum suas semper patitur infirmitates, et tandem mori iussum est. Sed per S. Coenam participes reddimur Meriti Christi, et sciungendi aliter ab eo in aeternum, intime de nouo eidem vnimur, spemque vitae aeternae adipiscimur. An vero Vnus haec pertinet ad effectus naturales? an est Vnus spiritualis? Si vero talis est, an aliter Vnus et Christi et nostri succedere potest, quam inter ipsum Seruatorem et Mediatorem Θεον Θρωπον qui spiritus est vnitus simpliciori vel si maius spirituali corpori, et inter animam nostram spiritum, quae alarum fidei remissio rapido volatu euecta Coelos petit, obuiumque sibi et praesentem illum amplectitur, in aeternum ab eius societate dulcissima non recessura. Dicis forte corpus Christi naturale cum sanguine, huius unionis

vnionis spiritualis est medium : at vero corpus naturale nullum nisi nobis proprium , agit in Animam, in tota Natura saltem corpora agunt in corpora, adeoque Corpus naturale Christi antea agere deberet in nostrum corpus, quam ageret in Animam, sed hoc statuere prorsus absonum. Neque vlo naturali vinculo opus; sufficit illo tempore quo vtimur pane et Vino benedicto nouo foedere intimiusque vniri, regressam, poenitentem atque ad meliorem, frugem redeuntem Redemptori suo, Animam fidelem. O quam belle hae considerationes quadrant amabili eius Nominis! quo sponsus animalium nostrarum audire voluit, quam facile abducunt conceptus corporei et naturales, in horridos errores de sponso et marito corporeo ac naturali, qua denominatione carnis suae illecebris et corporeis voluptatibus praetextum quaerunt Herrnhutianoi.

## §. 27.

Atque ita, (quod fesso saltem a catena diurnorum negotiorum Medicinalium, somnique experti adulta iam nocte furtim facere licuit,) animi mei sinceri et religiosi sensa elocutus sum libere, sine pigmentis, sine fuco verbis meis affricato. Non credo iis me peccasse in cruentum Soteris mei meritum, quod toto corde amplector, quod veneror supplex, cuius solius beneficio depositurus debilis corporis mei exuuias, tanquam unico peccatorum meorum piacula adiutus, aditum ad beatam vitam mihi patulum fore, certissima fiducia spero. Submitto interim cogitata mea omnia Virorum

*Epilogus  
nullam vim  
verbis Chri-  
stii illatam  
probans.*

gra-

grauissimorum examini, Adsum! pede non titubante, neque palpitante corde; Erigantur in foro mihi competente tribunalia; Sedeant Iudices Theologi summi, si non *Iablonski*, *Reinbeckii*, *Cantzii* qui ad altiora abierunt felices, saltem Eruditissimi *Moshemii*, *Baumgartenii*, mihique semper Venerabiles futuri *Burgii* non exclusis aliis nostris. Deprecor vero omnes hos solos, flagito quippe Iudicium mixtum; Sedeant in illo simul Praestantissimi Medici Christiani si non *Boerhauii*, *Hoffmanni*, *Bergeri*, *Waltheri*, *Platneri*, saltem superstites *Heisteri*, *Werlhofii*, *Richteri*, *Halleri*, *Segneri*, *Brendelii*, *Buchneri*, *Hebenstreitii*, *Guntzii*, *Ludewigii* aliique sagaciorum, qui voluerint, quibus quod Illustres *Swietenios* addere non liceat, acerbe doleo. Hi omnes expenso delicto, cuius reus habeor, deprehendent liquido, tale id non esse, quale esse non satis attendentibus visum est. Nam omnibus illis quae edifferui haec tenus, nihil probatum dare volui, praeterquam cum sanguine Corpus Christi naturale in Eucharistia non adesse, nil aliud. Miror hanc propositionem in libello meo *de Cholera* cum aliis quae inde necessario sequuntur, displicere potuisse iis, qui corpus Christi praesens non adesse naturaliter asserunt ipsi, aut non adesse quatenus naturale est. In verbis certe ego ero sat facilis, si modo conueniamus in re, in qua conuenire debent aequi arbitri omnes. Scilicet quae ad firmandam illam meam propositionem his plagulis protuli, talia certe habeo, ut impugnari nulla ratione queant, sed concedi debeant ab omni-


omnibus, qui non sibi placent in logomachiis, et otiosis terminis scholasticis, sonisque inanibus, quibus nulla idea iungitur, quique simplicis veritatis amore tenentur. Eapropter etiam, quando mihi haud sufficiens otium est, ut controvexas theologicas ingrediar, si forte alicui contra me disputare voluerit, respondebo nihil, satis sine vanitate gnarus, aut mea convincere debere diuersa sentientes omnes, aut eos nulla alia methodo fore conuincendos, et ex suis praeiudiciis retrahendos, quod facile patior, quemlibet suo sensu abundare sinens, si saltem mihi detur, intellectum non posse cogi. Nempe qui in vertere quae stabiliui allaborauerit, probare tenetur omnes meas positiones fundamentales §. 7. exhibitas, vniuersalique Eruditorum suffragio haec tenus verissimas habitas, esse lubricas et falsas; Christum venientem in terram sustulisse ordinem obtinentem in natura rerum, atque non gestasse corpus vere humanum. Ea omnia si noluerit, stabunt mea omnia firmo suo talo, neque reuelentur et concident unquam. Nolo vero proinde illa ratione, ut mala consequentia eliciatur ex innocentibus meis assertis, me omni studio contradicere molitus esse verbis Christi: *Hoc est.* Namque modum quo Christus cum suo corpore et sanguine adest pani et vino determinare nunquam annitar, vana enim et inanis haec fuerit opera. Potius modorum myriades, quibus praefens sit per DEI sapientiam esse possibles, vltro concedo, saltem remoueo a Mysterio modum aliquem impossibilem

bilem, quia ordini eadem manu diuina quae exhibuit panem et calicem, in natura rerum semel stabilito, in totum repugnat, vereque remoueo id a modo inexplicabili, secundum quod explicari nequit. Ut hoc quod eloquor, sinceram esse integerrimi Animi mei sententiam eluecat omnibus, en confiteor publice Corpus Christi in Eucharistia praesens saltem non adesse, quatenus sensibus est perceptibile. Exigit autem a me veri amor, vt confitear simul, sensus nostros non sufficere cognitioni essentiae verae et realitatis corporum. Experiundo per obseruationes sensuum discimus quasdam dotes corporum, aliasque quae ex his conclusione possunt elici, reliquas quae ipsis non minus propriae esse possunt, ignoramus omnes; prima rerum principia nos latent profus. Progredimur Physices et Chemiae ope a compositis ad simpliciora; horum simpliciorum adhuc simpliciora principia et simplicissima tandem, non attingimus nostris sensibus. Sumamus pro principiis antiquissimorum Philosophorum Atomos, aliquibus recentiorum explosos, sed ipsi Newtono adhuc celebratos; indolem eorum internam ignoramus, nec scimus agendi in corporibus modum, ex effectibus sensibilibus obseruatis aliquid saltem scimus de causa, aliquid inquam, nam ea maximam partem manet incognita. Ponamus præterea Corporum Naturam omnem in extenso, an eapropter nouimus corporum intiomorem indolem? an explicabimus sufficientes ideam extensi? per aliam forte affectionem corpoream

am vt v. g. grauitatem? Sane ipsa Gratitatis natura vera ignoratur, quae nec ex extenso, nec ex diuisibili, impenetrabili, mobili, nec ex figura et mole sese explicari patitur, quamvis immutabilis insit omni corpori. Eadem ignorantia sese exerit ubi de attractione corporum agitur, cuius causam et indolem non nouimus. Coecutimus non minus in causis motuum determinandis; ortus corporum eorumque multiplicatio, viresque seminum vnicuius priorum, nunquam extricanda nobis habentur mysteria. Haec omnia si aliquis magnus Apollo se explicare velle gloriatus fuerit, eam vt icarios conatus subsidere iubeat, rogatum velim; etenim in quam arctis limiribus coercita teneatur ad extremum licet sui ambitum indicibili Eruditorum solertia extensa Physica, perspicient omnes, qui satis intelligentes cum cura legerint et relegerint sapientissimi Boerhaauii orationem academicam, *de comparando Certo in Physicis*. Si vero in his maximam partem taliae sunt hominum oculatissimi, quid de hyperphysicis dicere debebimus modis salutis nostrae, quam insertus aeruminarum nostrarum, notis quo nos vertere deberemus nescientibus, indulxit diuina Beneficentia. Acquiescere hic cogimur, nostramque supplices profiteri debilitatem, Mortalium Literatissimi si fuerimus. Fulgens quaqua versum per Mundos et Coelos iubar diuinae Veritatis nos non capimus. Ex innumerabilibus radiis aliqui saltrem feriunt per quinque organa animam nostram, innumerabiles alii nos ferire non possunt existentes

nihil-

nihilominus, spiritibus perfectioribus sine dubio excipiendi. Ad eam sui ipsius cognitionem si peruerterit humana Eruditio, non rimatur amplius inexplicabile *Hoc est*: sed DEUM sapientissimum ultra coniectam omnium per omnia tempora Mortalium Sapientiam in immensum euectum, verecunda et humilis, et religiosa adorat; neque dubitat et disputat stolida. Iuuat interim eruditum etiam ipsi deuovere cultum, neque dum Lutherani nolunt describere modum, quo Christus S. Coenae adest, is a coetu eorum recessisse iudicandus erit, qui rudes conceptus abesse vult ab eminentissimo hoc Mysterio. Namque cum *Lutherus ipse* Deum id a se longissime velle precatus fuerit, vt Waldenses vel Bohemos illos qui rotunde negabant praesentiam corporis Christi in Eucharistia damnaret, vel damnados decerneret, cur condemnares innocens ego, qui Praesentiam agnosco, saltemque nimis naturalem quam sensibilem esse oporteret, remouendam esse opinatus sum. Iubeat illam Animae meae praesentissimam Amantissimus Seruator quo usque ad Sacratissimum eius epulum peccatori poenitenti accedere dabitur, atque Valedicturo culturae scientiarum physicarum et medicarum, in quibus mirum quantum ignoramus, ad supernaturalium et coelestium Veritatum cognitionem intiomorem, quibus aeterna salus nostra absoluitur, viam apertam velit per mortem suam et Meritum. Scribebam Vratislaviae Anno MDCLIII. sub finem Mensis Junii et sub initium Iulii.



# Errata.

- Pag. 6. lin. 3 pro non lege usu.  
lin. 5. pro inservatur lege inservuntur.  
lin. 14. pro hoc lege hæc.  
7. lin. 10. pro absenso vocabulo Hæredi-  
cos lege Medicos.  
9. lin. 16. lege pallescens.  
10. in lemmate ad §. 3. lege imputationum  
linea aite penultima lege exercere.  
12. lin. 9. lege redeundi.  
24. lege ausus.  
22. lin. 4. lege Philosophi.  
34. lin. 11. lege deducimur.  
lin. ult. lege temere.  
38. lin. 7. lege experiebatur.  
42. lin. 3. lege qvi.  
49. lin. 2. lege qvosq;unq;ve.  
54. lin. 12. lege perstant.  
58. lin. 7. lege humanis.  
61. lin. 2. qvorumq;ve.  
14. absit.  
64. lin. 17. hancq;ve.  
65. lin. 1. opus.  
73. §. 17. lin. 9. σιμηος Φων

Pag. 78.

Pag. 78. in nota lin. 23. lege vi viscerum.  
24. restituuntur.

79. in nota lin. 10 lege capere.

83. lin. 5. meos.

84. lin. 5. erunt.

90. lin. 1. lege referenda.

29. remigio.

95. lin. 24. misertus.

25. nobis.

96. lin. 5. longissime abesse;

19. condemnarer.







100316  
X 245 1515

41



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

**Farbkarte #13**

# COGITATORVM SVORVM DE S. EVCHARISTIA

SINCERAE FIDEI  
EVANGELICAE PURITATI  
OMNINO CONGRVENTIVM

# DILVCIDATIO APOLOGETICA

ERVDITORVM THEOLOGORVM  
MEDICORVMQVE OMNIVM  
AEQVAE INQVISITIONI  
SVBMISSA

A

BALTHASARE LVDOVICO TRALLES

MEDICO VRATISL.



VRATISLAVIAE  
SYMPTIBVS CAROLI GODOFREDI MEYERI.

1753.